



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866**

De S. Ragenfrede Abbatissa Dononii Prope Valencenas In Hannonia  
Commentarius Historico-Criticus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

A *suncius, qui præterea asserit, figuram tumuli a Ruffis datam satis accuratam esse, præterquam quod capita mulieris ac draconis in hac multo elevatiora sint, quam in ipso tumulo marmoreo.*

ut ad traditionem hic recurrendum videtur.

16 Quo magis ego eundem tumulum apud Ruffios considero, eo mihi verosimilius apparet, non fuisse illum ad condendum S. Eusebiæ corpus primo compositum. Nam est gies illa, quam Mabillonius verbis num. 12 datis, ac teste Beluncio, etiam Acherius S. Eusebiæ esse crediderunt, toto habitu suo, nudoque capite, ac velut tonso capillitio virum potius, quam Deo sacram

virginem exhibet; sola vero nasi mutilatio, quæ ex pio ejusdem Sanctæ facinore huic opinioni fortasse causam dedit, casu, ut sæpe alias assolet, potuit fieri. Itaque operæ pretium non fore duxi, eundem tumulum æri incidendum curare; nec conjecturas meas, utpote quæ ad propositum nostrum nil pertinent, Belsuncianis visum est addere. At unde igitur, inquires, scitur, in eodem tumulo celebris S. Eusebiæ abbatissæ ac virginis ac martyris ossa contineri? Id equidem ex sola traditione haberi existimo. Si quis certiora protulerit, libenter docebor.

ACTORUM  
C. S.

## DE S. RAGENFREDE ABBATISSA

DONONI PROPE VALENCENAS IN HANNONIA

### COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

I. G.

B § I. Actorum S. Ragenfredis, quæ Sollerius obiter discusserat, amplior  
notitia: singulorum fides: Sanctæ in Fastis sacris annuntiatio. E

CIRCA ANNUM DCCCV. Inter Acta S. Ragenfredis, circa quæ Sollerius suam olim dubiam frustra posterat,

**D**e Dononiensium nobilium, ut passim vocantur, Canonissarum parthenonis situ sat sæpe in nostro Opere, ac nominatim tom. 3 Aprilis pag. 73 et pag. 628, rursusque tom. 1 Julii pag. 266 a decessoribus nostris actum fuit, ut idem hoc argumentum revolvere, supervacaneum omnino foret. Nec esset quoque admodum necesse, ut post latum a Sollerio de S. Regina ejusque filia S. Ragenfredis Actis judicium, altera horum ampliorque notitia hic subministraretur, nisi laudatus decessor noster cit. tom. 1 Julii pag. 267, num. 4 Commentarii sui de S. Regina, eadem illa, tum manu exarata, tum typis vulgata, Acta, quæ longiores de Sancta nostra narrationes appellat, ad hujus natalem VIII Octobris, ex professo examinanda remisisset. Nimirum induerat is sibi, credo, in animum, indubie fore, ut ad ea, quæ humanissimis suis litteris die xx Mati anno 1715 de S. Regina ejusque Sancta prole Ragenfrede proposuerat dubia, tandem aliquando responsum aliquod a Dononiensium rerum peritis vel ad se, vel saltem lapsu temporis ad suos posteros submitteretur, cujus subsidio utcumque saltem ad crism exigi aut emendari ad hunc diem possent non ea dumtaxat, quæ in contractis Jacobi Guisii Annalibus Hannoniæ, Gallice anno 1531 Lutetiæ Parisiorum editis, sed et cetera omnia, quæ in ejusdem Guisii Annalium, Latine fusius scriptorum, ac hactenus ineditorum, fragmentis nostris, atque in prolifica Joannis d'Arleux lucubratione Gallo-Belgica Ms. multo verbosius, quam verius, de Sancta nostra ejusque matre adstruuntur.

et quæ hic falsus una cum rebus ad Sanctam attentibus illustranda veniant.

2 At sua spe falsus fuit Sollerius, nec mihi inde post novos in eundem scopum conatus multo melius, quam ipsi, ex votis res successit. Quod quidem absit, ut eorum, qui vel S. Ragenfredis vel parthenonis ejus res penitus perspectas habere debent, aut inertia aut aversa a suæ gentis hagiophilis voluntati adscribam; ut contra soli veterum monumentorum, summa, qua ipsos laborare comperi, inopia id tribuendum sit. Fa-

ciunt hæc, ut spem, de nobis ad hunc diem conceptam, explere omni ex parte penes me non sit; utque etiam paulo diversam ab ea, quam alias sequi optassem, in illustranda S. Ragenfredis Vita inire viam cogar. Non propterea tamen sciens volensque prætermittam intactum, quidquid ad Sanctæ nostræ gestorum ecclesiasticæ ejus cultus, nec non ejusdem, ut spem fecit Sollerius, parthenonis illustrationem conducens, post sedulam longamque indagacionem, aliunde mihi in manus venit, aut amplissimi eruditissimique Domini, Henrici Dionysii Mulle, Cameracensis ecclesiæ metropolitanæ decani, et archidiaecesis ejusdem vicarii generalis atque officialis, summa solitaque humanitate suppeditatum fuit.

3 Ab indicata num. 1 ampliore Actorum notitia exordium duco. Ac primo quidem SS. Reginae et Ragenfredis Vitam, seu, si ita vocare malis, priorem Legendæ partem, quam præfatus Guisius, ex Ordine S. Francisci Theologiæ doctor, et seculi XIV exeuntis auctor, in suos Hannoniæ Annales Latinos, hactenus ineditos, lib. 12, cap. 26 et 3 seqq. intulit, non posse inter monumenta S. Ragenfredi cœva aut supparia censi, vel ex eo evinci potest, quod eodem lib. 12, cap. 31 de Fredesende, quæ saltem non citius, uti videtur, quam anno 1034 Dononiensibus monialibus præfecta fuit, hæc verba legantur: Ipsa enim Vitam sanctæ Reginae et miracula sanctæ Ragenfredis describi præcepit. Nec est, cur quisquam verbum illud describi, aut ei in Annalibus Hannoniæ Gallice editis respondens vernaculum escribere, ita exponendum contendat, quasi vero sub medium seculum XI vita illa non primum composita, sed ex antiquo seu parum proveci seculi IX codice in recentem mere transcripta tunc fuisset: nam verisimile non est, auctorem Vitæ illius, Dononiensem, uti apparet clericum, si S. Ragenfredi æqualis aut suppar exstitisset, partem S. Reginae, cujus etiam Vitam scribebat, ignoraturum

primum locum tenet SS. Reginae et Ragenfredis Vita, quæ ab auctore non coarctat

AUCTOR  
J. G.

ignoraturum nomina fuisse, ac sibi tam inepte, uti facit, contradicturum, ut modo Pippinum, Ansigisi filium, et Theodorici III ad Teatricium anno Christi 687 victorem, modo Pippinum, Caroli Martelli filium, et anno demum Christi 752 in Suessionensi urbe regem inunctum, S. Reginae, e qua sub annum 755 nata est S. Ragenfredis, avunculum faceret ac rursus Sanctae nostrae matrem Pippini alicujus imperatoris neptem compellaret.

conscripta esse ostenditur, nec proin eadem meretur fidem, ubi de Sanctae gestis,

4 Sed quid hisce aliisque etiam plurimis erroribus referendis immoror? Quandoquidem ex laudati Guisii Annalibus tum Latinis ineditis, tum Gallicis impressis, atque ex ipso totius Legendae stilo satis apparet, auctorem, qui SS. Reginae et Ragenfredis gesta recensuit, eundem plane esse, qui illatam seculo nono a Normannis Dononiensi parthenoni ruinam ac subsequenter demum medio seculo XI parthenonis restorationem in litteris misit. Tantae igitur auctoritatis non est prior ejus lucubrationis pars, seu gestorum S. Ragenfredis historia, iis praesertim locis, quibus plane singularia ei adscribuntur facinora, aut quae ducentorum et quinquaginta annorum decursu sola traditione servari pura atque illibata non solent, ut extorquere fidem debeat, nedum ut integra, aut majori saltem ex parte ad hujus Commentarii calcem Actorum loco typis excudatur. At vero, quantum ad corporis S. Ragenfredis, e Dononiensi parthenone in Nocum Castrum ad Axonam seculo X delati, historiam attinet; idem anonymus, ut est huic facto aetate longe vicinior, dignior multo fide est, tum quod, quidquid hic refert, vel ex Dononiensium seniorum communi assertione, vel ex Gerardi presbyteri, suo infra loco latius memorandi, fideli relatione, ab hujus parentibus, oculatis fortasse rei testibus accepta, ediscere facile potuerit; tum quod nihil hac suae lucubrationis parte in medium proferat, quod seculi X moribus absonum sit, quodque aliunde pluribus exemplis firmari nequeat.

B

quam ubi de ejus corporis translationibus, et rebus hanc consecutus agit,

5 De his, quae idem scriptor anonymus sub Ermentrude, ab anno circiter 1029 usque ad 1034 abbatissa Dononiensi, ac dein sub Fredesende, huic post mortem suffecta, contigisse subdit, multo etiam minor est ambigendi locus; cum haec anonymus vel suis oculis ipse videre vel certe ex posterioris antistitae ore intelligere quiverit, ac re ipsa, ut omnino verisimile est, etiam confirmari intellexerit, priusquam nempe praefatae Fredesendae jussu Operi suo manum admooveret. At, ne cui forte de asserta a me hujus anonymi aetate suboriatur dubium, lubet hic quaedam ejus verba, quae rem palam faciant ex illius lucubrationis cap. 6 Guisiani vero Operis Latini lib. 12 cap. 31 lectori ob oculos ponere. Ita igitur ille, cum Fredesendae cura ac sollicitudine plenius restauratum Dononiense canobium dixisset, quod quidem medio circiter seculo XI factum esse, videtur, de eadem mox scribit: De cujus industriae et ingenio referri habentur \* plurima, sed parcius dicendum, quandoquidem IX

\* an meretur?

\* an etiam?

VITA SUA LAUDARE HOMINEM prohibet sapientia. Ipsa enim \* Vitam S. Reginae (quod et de interta huic S. Ragenfredis Vita intelligendum, supra innuimus) et Miracula S. Ragenfredis (quorum liber intercidisse videtur) describi praecipit, corpusque sanctae Ragenfredis, tamdiu ecclesiae suae sublatum, tali ordine (uti capite 32 et seq., infra recitandis, narra) Dononio restitui.

6 Atque hinc facile colligit eruditus lector, Dononiensis Officii ternas Lectiones infra edendas, quae corporis S. Ragenfredis relationem die XI Junii recensent, utpote coaevae testimonis munus, majori fide dignas esse, quam quidem san illae sint, quae ad VIII Octobris ac sequentem diem ejusdem Sanctae gesta enarrant, solaque scriptoris, Fredesendi abbatissae coaevi, atque adeo 250 fere annis a S. Ragenfredis obitu remoti, auctoritate, aut non in omnibus aequae comprobata traditione nituntur. Posterioris quoque generis sunt desumptus ex priore Legendae illius parte Rhythmus, seu, uti vulgo vocatur, Sequentia, ante primum Missae Evangelium recitari hoc die solita, ac novem Cameracensis Breviarii, anno 1497, Parisiis editi, ecclesiasticae de gestis S. Ragenfredis Lectiones; cum tam Rhythmus ille, quam Lectiones ipsae ex eodem non satis illini fonte originem suam traxisse videantur. Nunc in Dononiensis Breviarii Lectiones, a prioribus diversas, quaeque corporis sanctae Abbatissae nostrae elevationem die 2 Septembris commemorant, nonnulla etiam observemus.

7 Sunt haec, uti ad Dononiensis Breviarii, ad Romani normam anno 1625 conformati, calcem notatum invenio, ex antiquis monumentis Mss. ecclesiae Dononiensis desumptae, cujus Breviarium calamo descriptum est anno 1258. Verum, an monumenta illa corporis sanctae Ragenfredis elevationi coeva aut saltem supparia sint, nusquam illic indicatur. Utui haec se habeant, equidem sat nulla concurrunt, quae monumentis illis haustisque inde, de quibus hic agimus, Lectionibus multo majorem, quam singulis praefati anonymi de vita S. Ragenfredis assertis, auctoritatem fidei concilient. Ac primo quidem nihil in monumentis illis, seu potius in desumptis inde Lectionibus legitur, quod verisimile non sit, atque a seculo XIII ad nostra usque tempora communi eruditorum consensu admissum non fuerit. Accedit, quod, contra ac in Dononiensis anonymi de gestis S. Ragenfredis narratione plus vice simplici fit, nihil in iisdem Lectionibus occurrit, quod vel seculi VIII vel IX moribus, vel conciliorum ejus temporis canonibus, vel principum diplomatibus, vel indubiae fidei testimoniis adversetur, minuste congruat. Denique huc etiam facit, quod B. Aca, tom. 3 April. pag. 628 memorata, cujus opera consilioque post receptum dicinitus oculorum usum, sanctae Abbatissae nostrae corpus elevatum rite fuisse, illic perhibetur, re ipsa adulto seculo IX Dononii vixerit, munificamque sese in suae Sospitatrix ecclesiam parthenonemque praebuerit; ut adeo facti hujus saltem, quantum ad substantiam, memoriae vel perenni B. Acae in ecclesiasticis parthenonis Officiis Fastive particularibus commemoratione vel aliis quibuscumque domesticis documentis facillime et retineri et ad posterum illibata propagari potuerit; ac demum non abs re in ipsum ecclesiae Dononiensis Breviarium illata fuerit; quod quidem certe non serius, quam anno 1258 factum fuisse, ex laudato supra Breviario omnino evincitur.

8 Venio nunc ad longam illam Historiam Gallo-Belgicam Ms. paginarum 88 in folio, a Solle-rio nostro cit. tom. I Julii pag. 267 memoratam, quam superiori seculo cum decessoribus nostris communicavit R. D. Thomas Luytens, Laetiensis abbatiae tum supprior, ac dein ejusdem reverendissimus abbas. Lucubratio haec in tres dividi partes potest, quarum prima, utpote quae originem

A *linea Francia a Troianis regibus usque ad S. Ragenfredem deducit, ad fabulas amandari certo debet; secunda vero, quae gestorum S. Reginae sanctae Ragenfredis narrationem exhibet, ex memorata supra Legenda vel Guisanis Annalibus haustam, non parem ubique fidem meretur; tertia vero, quae miracula, S. Ragenfredis patrocinio seculo sexto decimo patrata, complectitur, a fabulis longe abest. Postremae hujus partis auctorem sese in nostro apographo proficitur laudatus num.*

1 Joannes d'Arleux, Dononiensis sub seculo sexti decimi exitum sacerdos sacellanus, a loco fortassis natali Arlodio, qui in Cameracensi territorio situs est, hoc nomine donatus. Num Arlodius hic noster etiam primae secundaque illius Historiae partis auctor, an librarius dumtaxat fuerit, non habeo, unde definiam; neque id scire, nostra multum refert. Is porro praeter prodigia beneficiaque, tum suo, tum vicino tempore, S. Ragenfredis patrocinio obta, quorum adeo epocham accurate expressit, nonnulla quoque alia in hanc suae lucubrationis partem tertiam intulit, at nupiam signato, quo haec contigerunt, anno vel die, haud dubie idcirco, quod monumenta Dononiensis, quae sibi praerulentia habuit, prodigiorum illorum epocham pariter non exhiberent.

9 His de documentorum, quae ex professo de S. Ragenfrede agunt, distinctione ac fide praemissis subdo illius in ecclesiasticis tabulis Fastivae sacris annuntiationes, tum ut de vario illius nomine cultuque ecclesiastico, latius infra illustrando, in antecessum omnino constet, tum ut non pauca, sequenti § disputanda, lucem aliquam hinc accipiant. Ac primo quidem, tametsi sancta Abbatisa in Martyrologiis, quae Classica dicimus, non memoretur; nihilominus tamen, seculo saltem decimo in solemibus ecclesiasticarum precum formulis memoratam invocataque fuisse, jam extra omne dubium est. Docuit id me insignis ille ecclesiae metropolitanae Cameracensis codex Ms., quem Hildaardus, Cameracensis episcopus, anno vigesimo secundo sui episcopatus (ita enim fert ipsa inscriptio) duabus tabulis eburneis, pulchre sculptis, extrinsecus ecornavit, et cui post Librum Sacramentorum S. Gregorii PP., descriptum jussu Hildaardi circa annum 812, insertus fuit, qui et nunc ibidem reperitur, Ordo ad visitandum et unguendum infirmum, manu x seculi, ut periti censent, exaratus, continens, inter alias preces, Litanias prolixissimas, in quibus inter sanctas Virgines invocantur sancta Eusebia, sancta Ragenfredis aliaque indubie sanctae.

10 Atque hunc Sanctam nostram in Litanis invocandi morem in Cameracensi dioecesi perseverasse, etiam post hujus ab Atrabatensi separationem, fidem facit indubiam codex insignis, seculo XII elegantia manu exaratus, qui fuit olim Prioratus B. Mariae Aymeriensis in dioecesi Cameracensi, nunc vero exstat in bibliotheca sancti Andreae de Castello in Cameracesio. In hoc enim codice, varia de ritibus conferendi Baptismi, extremae Unctionis, sepulture, et cetera hujusmodi complectente, inter preces, pro agonizantibus recitandas, exstat Litaniam cantanda ante obitum fratris, et in ea ibidem Sancta nostra invocatur hocce ordine: S. Aldegundis, S. Maxe lendis, S. Ragenfredis, S. Rictrudis, S. Amalberga etc. Longior sim, si singula, quibus Sanctae nostrae cultus in eadem dioecesi constanter perseverasse probari potest, ecclesiastica Calen-

daria enumerem. Ex pluribus tamen, quae mihi beneficio et humanitate laudati supra Mutii innotuerunt, quatuor saltem non possum non recensere, vel sola grati animi testandi causa.

11 Itaque initio codicis Ms. ecclesiae Cameracensis, signati CVII, scriptique seculo XII, qui continet Collectas et Antiphonas per annum, exstat Calendarium, in quo, mense Octobri legitur: VIII Idus Octobris Ragenfredis, Valeriae et Benedictae. In alio item codice ejusdem ecclesiae, in quo Psalterium per dies hebdomadae distributum aliaque ad ritus Sacramentorum spectantia, manu seculi XII exeuntis descripta sunt, initio reperitur Calendarium, quo et ritus impensis tunc S. Ragenfredi cultus exprimitur, hisce scilicet verbis: VIII Id. Octob. Ragenfredis, Valeriae, Benedictae Virginum III R. Hisce antiquus Liber Ordinarius sanctae Mariae Cameracensis, qui scriptus fuit initio episcopatus Godefridi de Condato, Cameracensis ab anno Christi 1219 antistitis, nec non ejusdem ecclesiae Breviarii, cura et impensis Ubaldi de Sartis, quondam decani, versum annum 1296 exarati, Calendarium consonant; quibus etiam Liber Ordinarius, signatus 303, conscriptus circa finem seculi XIV, continensque etiam Additiones seculi XV, conformis est, nisi quod in hoc modo, VIII Id. Ragenfredis virginis IX L. †; ac demum altioris etiam ritus Officium fol. 77 in Additionibus, his verbis: Ragenfredis virg. fit magnum duplum. Ad primas Vesperas Antiph. et Psal. feriales... Sex primae Lectiones propriae: Beata Ragenfredis; tres ultimae de Euangelio.

12 Fecit haud dubie tam celebris tamque constans in dioecesi Cameracensi Sanctae nostrae veneratio ecclesiastica, ut ejus nomen in usitata illic passim martyrologia illatum continuo fuerit; cuius rei luculentum testimonium praebent suppeditata mihi ab eodem clarissimo viro Dionysio Mutio variae annuntiationes, quarum prima, quae in codice Ms. abbatiae S. Sepulcri Cameracensis, signato XIII. 7: 12, et circa med. sec. XII exarato reperitur, ad VIII Id. Octobris ita habet: Eodem die in Doneng sanctae Ragenfredis virg.; secunda vero, quae ex Martyrologio abbatiae S. Stephani Fidelemiensis in dioecesi Cameracensi, sub finem seculi XII conscripto, desumpta est, hoc modo: VIII Id. Octob. . . . Deposito S. Ragenfredis; tertia denique, quae ex Martyrologio monasterii S. Andreae de Castello in Cameracesio, abhinc annis fere ducentis ex antiquo exemplari descripto, deprompta est, sic se habet: VIII Id. Octob. Apud Dononium natalis sanctae Ragenfredis virg. Quo vero manifeste etiam pateat, Sanctae nostrae notitiam non hodiernis dioecesis Cameracensis finibus constrictam fuisse, lubet subdere et aliorum quoque Martyrologiorum annuntiationes, quibus et jam ante dicta porro de Sanctae cultu dicenda firmissime stabiliantur.

13 Ex his Usuardi Auctarium, quod Rosweydinum vocatur, quodque circa annum 1138 ad usum ecclesiae S. Mariae Ultrajectinae conscriptum fuit, inflexo non nihil aliter (quod et alibi saepe fit) sanctae Abbatisae nostrae nomine, hoc die apud Sollerium nostrum pag. 586 his verbis eam celebrat: Item S. Ragenfredis virginis; Centulense vero ibidem paulo uberius eam memorat: Eodem die, territorio Atrabatensi S. Ragenfredis virginis et abbatissae; parcius autem Bruxellense et Aquicinctinum; illud hoc modo: Et sanctae Ragenfredis virginis; hoc vero ita: Eodem

AUCTOR  
J. G.

et in ecclesiasticis ejusdem dioecesis Calendaris.

E

itemque Martyrologiis, varie tamen inflexo ejus nomine,

F

uti et in aliis Martyrologiis, ac nominatim in illo Molani.

AUCTOR  
J. G.

Eodem die sanctæ Ragenfredis virginis; præ ceteris autem maxime jejune et simul perperam Ms. nostrum Florarium ejus mentionem hoc die facit his verbis: Item sanctarum virginum Ragenfredis et Libariæ martyrum. Grevenus dumtaxat Rainfredis virginis meminit; adscriptum vero Petro Canisio Martyrologium Germanicum et Joannes Molanus ad hunc diem, partim secuti forsitan memoratum abbatie S. Sepulcri Cameracensis codicem, locum Sanctæ emortualem, in diocesi Atrebatensi situm, qui et Denonium, Denaium, Denainum, Domnicum et Diniacum subinde vocatur, suæ annuntiationi nominatim adjunxere; illud hisce, sed Germanicis verbis: In cœnobio Dononiensi, inter Valencenas et Cameracum (imo potius inter Duacum) sito, sanctæ virginis Rainfredis; hic autem ita: Eodem die (nempe VIII Octobris) in Donay sanctæ Rainfredis virginis; ac rursus in posterioribus editionibus: Apud Dononium solemnitas sanctæ Ragenfredis virginis. Ex quibus quam varie Sanctæ nostræ nomen efferatur, velim, etiam lector advertat, ut ne infra hæreat, ubi alio, quam quo in ipsis Actis ecaratum est, modo a nonnullis exarari conspiciet.

B

qui et de  
corporis  
ejus eleva-  
tione et re-  
latione me-  
minit, an-  
nuntiata,

14 Laudatum jam mox Molanum vix non verbotenus secuti sunt posteriores hagiologi, Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, Arturus a Monasterio in suo Gynæceo, Lahierius, Willotus, Saussayus, Castellanus in suo Martyrologio Universali, auctor Martyrologii Parisiensis anno 1727 typis editi aliique, quos prætermitto, ut ad Molanum revertar. Hic non contentus solam S. Ragenfredis solemnitate, hoc die Dononii haberi quotannis solitam, celebrare, die 2 Septembris ejusdem corporis elevationem etiam suo inseruit Martyrologio, hisce nimirum verbis: Apud Dononium, elevatio corporis sanctæ Ragenfredis virginis; dies autem XI Junii relationem corporis, ex Castro novo nempe ad Dononiensem ecclesiam, de qua vide § VIII et infra dicenda, in hunc modum pariter celebravit: Eodem die, relatio corporis sanctæ Ragenfredis virginis.

cum elogio,  
at non ubi-  
que accurate,  
in Fa-  
stis Canoni-  
corum Re-  
gularium

C

15 Sunt et alii Fasti sacri, in quibus hoc die non sine elogio Sanctæ nostræ solemnitas celebratur. Et eam quidem in Canonicorum Regularium Natalibus Constantinus Chinius, canonicus Regularis, veluti sui Ordinis non infimum decus, in hunc modum annuntiat. Apud Dononium solemnitas sanctæ Ragenfredis virginis. Hæc patrem habuit beatum Aldebertum, comitem Austroviandæ, et matrem S. Reginam, neptem Pippini regis: hii enim pii parentes in rebus juris sui fundaverunt ad Scaldim Dononii monasterium; in quo beata eorum filia Regenfridis præfuit. Quæ dignitatem originis morum honestate et sanctorum operum claritate decoravit, et ex terreno regno ad cœlestis Regis sponsi regnum translata est: Dononii vero sepulta et elevata: et licet aliquando exinde fuerint distractæ ejus sacræ reliquiæ, opera tamen duorum clericorum recuperatæ, digno coluntur honore. Floruit circa annum Domini 790. Ita ille, at non ubique, uti ex dicendis patebit, æque accurate, tametsi pro accuratis hic laudet sub Molani nomine editos a Petro Louwio Natales Sanctorum Belgii, a quibus, æque ac a pluribus aliis, non in re discedendum esse, infra ostendemus.

16 Benedictini hagiologi, utpote qui adversus canonicos Regulares S. Ragenfredem sui Or-

dinis alumnam fuisse, contendunt, eam in suis Fastis omittendam non duxerunt, ac præ ceteris Arnoldus Wion in Ligno Vitæ lib. 3, pag. 334, eam, ut Ordinis S. Benedicti abbatissam, laudat. Bucelinus pariter Sanctæ nostræ, veluti sui Ordinis alumnae, elogium tenuit, non multum a jam dato discrepans, ac proin non magis ubique veritati consonum. Eam itidem Menardus Benedictinam fecit ad diem 2 Septembris, quo corporis ejus elevationem annuntiat; quamquam, quod sat mirum est, ad diem VIII Octobris, quo præcipua ejus solemnitas agitur, ne verbo quidem uno de ea meminerit. Mabillonius quoque Sæculo III Benedictino, parte 2. Ragenfredem sui Ordinis monacham fuisse, pro certo, uti scribit, sibi persuasum habens, illam inter Sanctos Benedictinos commemoravit, inter Prætermissos tamen, quod ejus Acta, quæ edi a se posse, censeret, sibi non innotuissent. Ceterum, an S. Ragenfredis, seu, uti Dononiense Breviarium recentius habet, Ragenfredis, Gallice Refroie, Rainfroi, et Rainfroid dicta, re ipsa, quod Benedictini affirmant, S. Benedicti Regulam secuta fuerit, suo infra loco examinabimus. Nunc duo alia testimonia antiqua, quæ, etsi nec fuse, neque ex professo de Sancta nostræ tractent, in hoc tamen Commentario plus semel, ac potissimum quidem, usui erunt, commemorare atque discutere instituo.

## § II. Dononiensis Chartæ Carolinæ et Chronici Cameracensis, quæ de Sancta ejusque cœnobio meminerunt, auctoritas stabilitur.

Cum Sollerius noster cit. tom. I Julii non solum Canimo destinasset S. Reginæ Vitam ex æque critices regulis elucidare, sed et Dononiensis parthenonis historiæ desideratam diu lucem affundere vellet; id suis, ut num. I jam monui, humanissimis litteris operam in primis dedit, ut a rerum Dononiensium peritis nonnullæ ad nos submitterentur notitiæ, ex quibus saltem, quantum esset faciendæ Dononiensis celebris chartæ seu donatio Carolina, quantive pretii essent tam S. Reginæ, quam S. Ragenfredis Acta, saltem pronunciare posset. Verum nec ipsi circa rem utramque, nec mihi item post adhibitam summam diligentiam tanta inde, quanta sperari poterat, lux demum affulsit. Ne tamen id, quod in Sanctæ nostræ gestis præcipuum fere est, Dononiensis videlicet parthenonis extractio, nunc æque, an ante in incerto maneat, nec et hodierni scriptores decessorum suorum exemplo debitam S. Ragenfredi laudem parentibus ejus ascribere pergant, visum est et labori non parere, et aliunde hausta in medium proferre, atque adeo et de illius diplomatis auctore, epocha, fideque operosius hic disputare, quo sic manifeste pateat, cur in assignanda ejusdem parthenonis fundatrice a tradita per Molanum, Louvianum, Locrium, Mabillonium aliosque quam plurimos sententiâ omnino recedam. Cum autem et opinioni meæ adversus Dononiensis seculi XI scriptoris anonymi recentiorumque de eodem argumento assertionem non leve pondus addere queat Cameracensis et Atrebatensis Chronici scriptor Baldericus;

A *Baldericus; de ejus pariter in ea re auctoritate nonnulla subdere visum est.*

de cujus auctore et epocha varia et pugnantia scripta fuerunt.

18 *Exordium a diplomate illo duco. Qui celebrem hanc chartam, quam num. 86 et seqq. integram habes, jam pridem calamo vel postea typis vulgarunt, in tam oppositas, sibi que tam parum coherentes de ejus auctore et epocha opiniones abierunt, ut merito dubitandi ansam præbuerint, num illa a Francorum rege aliquo reipsa umquam profecta fuisset, atque adeo an hæc Carolina Donatio (quo nomine Sollerius hanc sibi suspectam chartam vocavit) non esset reapse plane fictilia. Et sane laudatus Guisius cit. lib. 12, cap. 35 eam a Carolo Magno anno 37 regni ejus in Francia, imperii vero secundo, anno autem ab Incarnatione Christi 905 datam scribit, eademque notæ chronice in editis Gallice ejus Annalibus eolum. 2 fol. 49 verso comparent. Contra anonymus quidam apud Labarre tomo 6, parte 2 Ms. Collectionis monasteriorum Belgii, ac fortassis ipsemet jam laudatus Collectionis auctor pag. 416 diploma illud ad Carolum, cognomento Simplicem, ab anno 900,*

B *uti ipse vult, usque ad 927 Francorum regem, referri posse statuit. Locrius autem in suo Chronico Belgico pag. 183 illud a Carolo Magno anno Christi 805 emissum asserit, ipsosque Guisii Annales, veluti assertionis suæ testes laudat; at perperam et frustra, uti ex jam dictis infra que dicendis patebit.*

non fuisse a Carolo Magno aut a Carolo Simplicem concessum,

19 *Singulas modo opiniones jam memoratas eodem ordine examinemus. Ac primo quidem, cum anno Christi 905 jam annis 91 mortuus esset Carolus Magnus, utpote qui ultra xxviii Januarii anni 814 in vivis non fuit, nemo non videt, contra ac in Guisii Annalibus Gallicis nostrisque Latini Operis ejus Mss. fragmentis adstruitur, diploma hoc, stantibus hisce chronicis characteribus, a Carolo Magno imperatore concedi nequaquam potuisse. Nec vero posse ulla veri specie asseri, diploma illud a Carolo Francorum rege, cognomento Simplicem, anno Christi 905, ejusdem vero imperii anno secundo, et regni in Francia trigesimo septimo profectum fuisse, vel hinc liquido evincitur, quod hic princeps Romano imperio, ut eruditi norunt, nunquam præfuerit, quodque, etiamsi gratis statueretur aliquando ei præfuisse, necdum tamen vel sic posset Francici ejus regni annus 37, aut signatus in diplomate 38 cum anno Christi 905 componi, nedum cum indictione x, eodem diplomate expressa, prout calculos ineunti evidens fiet. Denique, quod, contra ac Locrius cit. pag. 103 contendit, diploma illud ad Carolum Magnum annumque 805, quo is revera in vivis erat, retrahi nequaquam debeat, nec omnino possit, vel ex ipsis ejusdem instrumenti notis chronicis apud Guisium exstantibus, aliisque diplomatis verbis manifesto etiam liquet.*

ostenditur; nec tamen, licet nonnullis suspensum fuerit,

C *20 Etenim, etsi, ut jam dixi, anno 805 in vivis fuerit Carolus, cognomento Magnus, Francorum rex simul et imperator; tunc tamen non annus Imperii secundus, quo diploma illud datum notatur, sed Caroli Magni imperii annus quintus, jam mensibus septem inchoatus, in cursu erat, nimirum a festo Natali Domini anni 800, uti inter eruditos convenit. Huc adde, quod eodem anno 805, non Indictio x (hanc enim, ut jam monui, charta illa exhibet) sed tertio supra decimam fueret; ac denique quod ea tempore vel in vivis adhuc fuisse videatur S. Ra-*

Octobris Tomus IV.

genfredis, vel certe paulo dumtaxat ante defuncta, ejusque parthenoni exiguo tunc solum tempore manus ultima fuisset admota; ut adeo diploma, qui ipsa, veluti jam pridem defuncta, Cœlitumque honoribus affecta, memoratur (adi verba num. 87 circa medium) quoque de restituendo in pristinum statum ejus parthenone sermo fit nulla ratione imperatori Carolo Magno aut anno Christi 805 adscribi queat. Non de nihilo igitur Sollerius noster, uti ex ejus supra memoratis litteris disco, diploma illud suspectum habuit, nec iidem abs re Cointius, cum aliud hujus fragmentum non vidisset, quam quod Locrius citato loco ediderat, ipsum Dononiense diploma, utpote quod cum adhibitis Caroli Magni ætate characteribus chronicis probatæque fidei documentis conciliari non posse videbatur, in suis Annal. ecclesiasticis ad annum Christi 805, num. 108 rejiciendum, nulliusque apud se auctoritatis esse, declaravit.

21 *Sed, quid demum, sciscitaberis, de ipsa Carolina donatione, seu Dononiensi celebri charta statuendum est? Respondeo, tametsi illius jam memorata apographa haud dubie vitiosa admodum sint, ipsumque, quod Miræus lib. 2 Diplomatum Belg. cap. 12 hujus chartæ exemplar edidit, licet prædictis nullo accuratius, suo tamen nævo non careat; ipsam nihilominus chartam Dononiensem pro fictitia minime habendam esse, ac contra magnam mereri fidem, eamque, qua Dononiensis parthenonis exstructio jure merito S. Ragenfredi adjudicetur. Etenim, quemadmodum ex ejusdem diplomatis Miræano apographo, atque ex alio, quoda V. C. Domino Tordreau Valencenensis urbis regio vice-præposito (Lieutenant Prévôt Gallicæ dicto) mihi suppeditatum fuit, jam omnino compertum est, in eo diplomate nec annus Christi 805, nec 905 exprimitur, sed hæc sequentes notæ chronice comparent: Id. Augusti, Indictione x, anno xxxviii Karoli regis in Francia et imperii ejus II, quæ, uti vel ex sola Labbei Concordia Chronologica liquet, cum nulli Carolo, Francorum regi simul et imperatori, præterquam Carolo, cognomento Calvo, conveniant; hujus adeo diplomatis auctorem, ipsumque, quo datum sit, tempus, nimirum annum Christi 877, vel ex his definitum habemus, cui et apprime congruunt, quæcumque in ipso diplomate de S. Ragenfrede deque Dononiensi, cui præfuit, parthenone enarrantur. Singula*

AUCTORE J. G.

pro fictio haberi potest, cum veræ ejus notæ chronice

apprime sibi, et probatæ fidei documentis congruunt,

22 *Assignato jam nunc anno Christi 877 Idibus Augusti currebat revera Indictio x, uti numeros ineunti patebit; in cursu pariter erat expressus illic Caroli, nempe Calvi, Francici regni annus 38, utpote qui Occiduampatemi regni partem anno 839 accepit, prout tom. 7 Script. Rer. Gall. pag. 15 ex Nithardo liquet. Ex Annalibus Bertinianis eodem tomo pag. 119 manifestum quoque fit, præfato Christi anno 877 annum imperii ejusdem Caroli secundum in cursu fuisse; quandoquidem anno Domini dcccclxxv, seu, uti Annalium illorum, sed (quod bene notandum) annos Christi a die festo Natali exordientium, lectio habet, anno Domini dcccclxxvi Carolus in die Nativitatis Domini beato Petro multa et pretiosa munera offerens, in imperatorem unctus et coronatus, atque Romanorum imperator appellatus est. Adhæc præfato anno Christi 877 jam satis diu S. Ragenfredis piissime vita functa fuerat, ut sanctitatis sa-*

42 mam,

AUCTOR  
I. G.

*nam, ecclesiasticamque venerationem, quas ei diploma illud tribuit, eo temporis, nempe 70 circiter annorum, decursu facillime assequi poterit. Denique, ne prolixior sim, eo temporis intervallo crebris Normannorum in Belgicas regiones excursionibus ac partim forte etiam rectorum insolentia, qui, ut vicino Elnonensi (alii tom. 3 Gall. Christ. auctæ col. 257) cænobio fecerant, parthenonis bona in suos usus converterint tam gravia Dononiensis parthenon detrimenta non modo pati potuit, sed et haud dubie passus est, ut in pristinum statum restitui vehementer necesse haberet.*

23 At, inquit, tametsi ex jam dictis manifestum sit, diploma illud non ab alio principe, quam a Carolo Calvo, rege simul et imperatore, nec alio quoque tempore, quam anno Christi 877 posseditum statui, atque adeo una ex præcipuis, cur diploma illud pro spurio haberi olim poterit, sublata hinc sit ratio; non propterea tamen idem illud genuinum dici, atque in iis, quæ de S. Ragenfrede assertit, veluti fide dignum haberi potest. At quæso, quid ita? Quia nempe

**B** in plerisque ejus apographis, ac vel apud Miræum lib. 2 Diplomatum Belg. cap. 12, et tomo 8 Scriptorum Rerum Gallicarum pag. 673, hæc inusitata reperitur clausula: ... notarius scripsi; ac rursus, quia fictitium est Pandiacum palatium, in quo confectum notatur; tum denique quia variis locis interpolatum est. Singula hæc, quanti momenti sint, discutiamus. Fateor, præfatam clausulam, prout apud Miræum et Script. Rer. Gall. exstat, a communi diplomatum seculi noni usu alienam esse; at id non chartæ suppositivæ indicium certum est, sed librarii, nescio, cujus vitium, qui cum vel rei, quam agebat, minus esset intelligens, aut non satis acres acutosque haberet oculos, usitatam sæpe in Caroli Calvi chartis formulam: Audacher notarius ad vicem Gauzlini subscripsi, integram recensere nequirit, et puncto aliquot aliarum, quas omittebat, vocum loco, pro arbitrio suo exaravit.

24 Sane notarii nomen (idemque de aliis non expressis illic vocibus iudicium esto) in ipso diplomate prætermisum non fuisse, ex sat antiquo quod penes nos est, hujus chartæ apographo conficitur, utpote in quo notarii illius nomen, licet non parum immutatum (Micater enim pro Audacher legitur) expressum invenitur. Fecit haud

**C** dubie eadem non satis magna hujus diplomatis descriptorum peritia, aut ipsius diplomatis sub calcem vetustate aliquantum detriti aut exesi, obscuritas, ut pro Pontiliaco palatio, comitatus Burgundiæ, uti infra ostendam, hodierno oppido, Pontalier vernacule dicto, facili lapsu in Pandiaco palatio, et in Parisiaco palatio exaratum in apographis inveniat. At tanti non est hujuscemodi librariorum error, ut ipsimet diplomati quilibet de sua detrahat auctoritate; cum in immensa illa diplomatum, hoc et superiori seculo editorum, collectione non nisi paucissima inveniantur, quæ ab aliquo librario minus accurate descripta prius non fuerint, aut non simili aliquo nævo in manu exaratis vel typis primum editis apographis laborarint: quæ tamen postrema, antiquariorum industria ac secundis curis primæve fidei suæ postmodum reddita, æqualem cum ceteris auctoritatem sibi merito vendicant.

25 At sciscitaberis, qua ratione chartam illam in Pontiliaco palatio editam, ejus vero

palatii situm, quem Mabillonius, seu potius Michaël Germanus libri quarti de Re diplomatica verus auctor, definire ausus non est, ego apud oppidum, Pontalier vulgo dictum, statuere ausim. Respondeo, me id facere partim ob Annalium Bertinianorum tom. 7 Script. Rer. Gall. pag. 123 jam nunc recitanda verba, partim ob ipsam diplomatis, quo de agitur, expressam epocham, nimirum Id. Augusti, Indictione x seu anno Christi 877. Annalium laudatorum ad hunc annum verba refero: Dominus autem imperator Carolus de Carisiaco Compendium, indeque per Snessionem ad Remum civitatem, et sic iter suum per Catalaunos et Pontigonem atque Lingones peragens... de Francia Italian petiit. Et veniens ultra Juram usque ad Urbam, obviam habuit Adalgarium episcopum... Ac post nonnulla, quæ huc proxime non spectant, ita Annales pag. 124 pergunt: Nunciavit etiam inter alia idem Adalgarius imperatori, quoniam Joannes Papa (hujus nominis VIII) obviam illi Papiam veniret.... Ipse autem (Carolus Calvus) festinato perrexit ad eum, quem obviam habuit apud Vercellis civitatem, et eo recepto cum honore maximo perreperunt simul usque Papiam.

26 Nunc hujus itineris seriem, quantum ad rem nostram necesse est, ex datis ab eodem diplomatibus expendamus. Pontigone iv Idus Julii ejusdem anni moratus est Carolus, ibique permutationem, factam inter canonicos Capleiensis et monachos Aduenses, diplomate, quod citato tomo 8 pag. 667 videsis, confirmavit. Lingonis civitate xii Calendas Augusti substitit, ibique cænobio Dionysiano Villam Carecium edito diplomate restituit. Postquam Monasteriolo super fluvium Segonnam certo usque ad Calendas Augusti moram fecisset, iii Idus Augusti seu, ut communi nunc computandi modo utar, die xi Augusti Vesontione civitate substitit, uti ex ejus diplomate pro Vicariensi ecclesia cit. tom. pag. 674 patet; ipsis vero Idibus Augusti seu ejusdem mensis die xiii Dononiensem chartam nostram edidit, nimirum in regali aliquo Palatio quod certo ultra trilivum iter Vesontione non aberat, imo potius huic urbi multo magis vicinum fuerit, nisi eo ipso die, quo Vesontione rex discessit, præfatum pro ecclesia Vicariensi, et ipso illdem die, quo in Palatium illud regale venit, pro monasterio Dononiensi diploma, de quo questio est, emisisse adstruat.

27 Adhæc, uti ex Bertinianorum Annalium recitatis num. 25 verbis, et ex edito Vercellis in Italia v Idus Septembris, quod cit. tom. pag. 674 habes, diplomate evincitur, regale illud palatium, in quo Dononiensis charta edita est, viæ regiæ per Juram montem usque ad Urbam indeque Vercellas ducenti adiacebat. Quæ cum ita sint, vis ego dubito, quin, qui Vesontionis et hodierni oppidi Pontalier dicti, ac denique Urbæ seu Castri Orbe in Transjurano pago positionem expenderit, simulque nominis Pontiliaci cum hodierno vernaculo Pontalier affinitatem consideravit, non difficulter assensusur mihi sit, Dononiensem chartam in jam nunc dicto loco emissam revera fuisse, atque in ea pro Pandiaco palatio legendum esse in Pontiliaco palatio, quod, uti ex alia Caroli Calvi charta apud Perardum in Monumentis Burgundiæ pag. 48 et 49 patet, minime Morboniam in insulam ablegandum est. Atque ita modo habemus, ipsam Dononiensi charta nec fictitium adstrui palatium

et solius recentioris librarii imperitiae adscribenda sit inusitata ejus clausula.

uti et omissionis nominis notarii, et vitiosa Pandiaci palatii indicio.

A ubi hæc confecta fuisset, nec adeo eo titulo eandem chartam sublestæ fidei argui merito posse.

ubi hoc diploma concessit, quod detur plurimis locis interpolatum fuisse, immerito asseritur.

28 Ad tertium nunc progrediamur argumentum, seu ad plurimas illas interpolationes, quibus hæc chartam laborare, ex citato supra Michaële Germano lib. 4 de Re diplomatica pag. 307, non nemo nobis objiciat. Haud ego diffiteor, præfatum scriptorem de interpolationibus plurimis aliisque nævis cit. pag. hoc diploma arguisse; at fallor plurimum, si alios, quam quos ejus librario haud satis perito imputandos esse, jam docui, probare unquam in ea nævos potuerit, salva nimirum permanente complurium ejusmodi, quæ aut ipse, aut socii ejus pro genuinis ediderunt, diplomatum auctoritate. Denique ipsemet libri 4 de Re diplomatica auctor eodem loco fatetur, plurimis sub interpolationibus (quas quilibet non mere pro arbitrio ab eo assertas, sed solide probatas videre optasset) subluere quemdam infucata vetustatis splendorem, qui chartam hæc non fictam ex composito, sed ad genuinam ideam pereuntis efformatam insinuat; ut adeo, etsi hujus diplomatis severiore aliunde Aristarchum egerit, relatus tamen in eo factis fidem adimere ausus non sit; nec proin aut prima ejus aut aliorum similis censura Dononiensis hujus chartæ auctoritatem elevare queat.

Chronici Cameracensis, quod illi diplomati consonat, sub Gerardo I.

29 Atque hæc paulo fusius de hujus diplomatis fide prævic disputata sunt, ut, hæc ab adversariorum objectis semel vindicata, minus impedito dein tramite, quæ ad S. Ragenfredem, conditumque ab ea, uti infra ex hoc diplomate probabimus, Dononiensem parthenonem attinent, percurrere possimus. Eodem etiam spectant, quæ, uti num. 17 monui, de Chronici Cameracensis et Atrebatensis auctore nunc disputare aggredior. Si Historiæ literariæ Franciæ scriptores tom. 8 pag. 404 audiamus, hujus Chronici auctor Baldericus (de quo quæ Boschius noster tom. 2 Augusti pag. 670 erudite disseruit, hic pro insertis haberi cupio) idem iste, inquam, Baldericus ex eorum sententia non jussu Gerardi I, Cameracensis episcopi, sed remoti hujus successoris, Gerardi II Chronicon suum scribere eorum fuerit: quæ si vera essent, consecrarium facerent, ut anonymus Dononiensis, qui paulo post medium seculum XI SS. Regiæ et Ragenfredis vitam adornavit, antiquitatis palmam Balderico

C cedere non debeat, quandoquidem Gerardus II, sub quo episcopo Baldericum suum inchoasse Chronicon, ipsi volunt, anno dumtaxat 1076 S. Lietberto in cathedram Cameracensem successit. Opinionem illi suam, quam indubiam pronunciant stabilire nituntur Gerardi II epistola, anno Christi 1082 ad Hubertum, Morinensem episcopum data, qua, ut videre est in Testimoniis, Balderici Chronico in editione Colveneriana præfixis, præfatus Gerardus II Opus illud Chronicon nuperum vocat. Addunt, ejusdem Chronici libro secundo ecclesiarum monasteriorumque fundationes, usque ad annum 1070 factas; libro autem tertio historiam S. Lietberti, anno 1076 defuncti, contineri; ac proin certo non ante hunc postremum annum a Balderico nuperum Operi impostam fuisse, contendunt.

seu ante annum 1052 magna ex parte conscripti,

30 Verum, quod virorum eruditorum pace dicere liceat, ex his omnibus non conficitur, Baldericum ante annum Christi 1076 suum Chronicon conscribere aggressum non fuisse; sed hinc solum consequitur, ut deductum prius ab urbium Cameraci et Atrebatii exordio usque ad Gerardi I tempora Chronicon (quod ante annum 1052 cer-

to factum fuisse, infra magis patebit) postmodum Baldericus auverit, ac demum S. Lietberti Historiam ei adjunxerit sub Gerardo II, qui, ut dicimus, anno 1076 ad Cameracensem sedem evectus fuit. Et sane, cum ipsemet auctor in sua ad Chronici librum secundum Præfatione pag. 220 aperte dicat, se gesta episcoporum Cameracensium priore libro usque ad extremitatem domni Gerardi episcopi, QUI NUNC EST, pertractasse, isque Gerardus, qui tunc, cum Baldericus hæc scriberet, in civis erat, manifestissime sit Gerardus I, qui Henrici imperatoris capellanus fuerat, demortuoque successerat Erluino, uti ex ultimo libri I capite perspicuum fit; evidens pariter est, Baldericum non sub Gerardo II, seu post annum 1075, sed sub remoto hujus decessore Gerardo I Chronicon suum scribere eorum fuisse, ac, præter integrum librum primum, secundum quoque magna ex parte adornasse, saltem ante annum 1052, quo Gerardus I certissime jam e vicis excesserat.

31 Quod autem ad institutum nostrum præceteris facit, dubitandum non videtur, quin, si revera Baldericus, (quod hic examinandi locus non est) libro 2 sui Chronici complexus sit aliquas ecclesiarum cœnobiisque fundationes, non nisi sub annum 1070 factas, ex earum numero saltem non sit Dononiensis parthenonis instauratio, utpote quam factam scribit consilio domni Gerardi et Leduwini abbatis, nempe Vedastini, qui tringinta saltem annis ante Gerardi II episcopatum defunctus erat. Cum vero subnectat, moderno tempore, seu vel eodem, vel certe vicino, quo suo Chronico vacabat, anno, per Balduinum comitem eorumdem Gerardi et Leduwini consilio Dononiensem cellam in pristinum statum fuisse restitutam; quis non videt, illud post annum Christi 1036, qui Balduino emortualis fuit, factum non esse; nec adeo a Balderico dici potuisse moderno tempore factum, nisi saltem libri secundi partem magnam multis ante Gerardum II annis, certoque vel ante medium seculum XI jam elucubrasset. Neque opinioni meæ multum officit, quod Gerardus II anno 1082 Balderici Chronicon nuperum vocarit: nam præterquam quod hæc vox nuperum aliquot elapsorum annorum latitudinem eo loco patiatur, dici aliunde non immerito potest, idcirco tunc nuperum ab eo dictum fuisse, quod tunc vel nuper ex omni prorsus parte, seu quantum etiam ad librum tertium, completum, vel tandem evulgatum esset: ut adeo adversus Baldericum, præfato anonymo non nulla in re dissentientem, opponi jure merito non queat, esse eum anonymo juniorem, minusque adeo fide dignum.

uti variis rationibus ostenditur,

E

F

32 Sed enim gratis etiam dato, Baldericani Chronici librum secundum, seu hujus caput 28, quod huc facit, paulo post ejusdem anonymi Legendam conscriptum fuisse; viæ quidquam tamen, imo potius nihil inde de auctoritatis palma Balderico decederet; cum hic, uti ex virorum præstantissimorum epistolis, ejus Operi præfixis, abunde patet, vir fuerit sui seculi in primis literatus, incredibili insuper sedulitate et industria indefessa præditus, qui nihil dubium, uti ipse in sui Chronici præfatione asserit, et eruditi passim consentiunt, nihil fictum, nihil denique asserendo in medium protulit, quod aut in Annalibus aut Historiis Patrum, aut Gestis Regum, aut chartis quoque, quæ tum in archivo ipsius ecclesiæ suæ erant, aut a certis relatoribus et visum et auditum non accepisset; tantam autem

major esse debet, quam anonymi Dononiensis, Balderico cævi, auctoris.

seu

AUCTORE  
J. G.

seu eruditionem, seu accurationem, in eodem anonymo desiderari, non una ejus narratio, infra subdenda, omnino palam faciet. Sed de his satis. Ad ipsam modo Sanctam me convertito.

### § III. Sanctæ natales nobilissimi : an novem sorores germanas ha- buerit, inquiritur : ei adscribenda fundatio cœnobii Dononiensis.

S. Ragen-  
fredis ex B.  
Adalberto et  
S. Regina.

Ragenfredem medio circiter seculo VIII patre natam esse B. Adalberto, seu Aldeberto, Austroviandæ in Belgio comite, matre vero S. Regina, Pippini regis consanguinea, de quibus tom. 3 Aprilis pag. 73 et tom. 1 Julii a pag. 266 actum est, affirmant unanimi voce quotquot de Sancta nostra monumenta supersunt, consentiuntque, nemine contradicente antiquo, Belgici Gallicique scriptores omnes, qui vel Sanctæ nostræ, vel parthenonis, cui ipsa præfuit, accurata abhinc aliquot seculis fecere mentionem. Nec est, cur tam claros nobilitate sanctitateque natales idcirco quisquam ei abjudicet, quod cœvorum scripta, quæ id tradant, aut Normannorum incendiis absumpta fuerint, aut certe hodieque lateant. Nam, etsi ob horum defectum quaedam natalium ejus adjuncta plane singularia, ac mirabilia quoque ei attributa gesta vocari non immerito in dubium queant; idcirco tamen de parentum ejus nobilitate propriisque nominibus ambigendum non est, cum ea haud dubie mox ab eorum obitu sepulcris quæque suis ac dein hierothecis, in quas sacra eorum lipsana ante Normannorum sec. IX fatales excursions translata fuerant, sollicitè exacteque inscripta fuerint; ac denique vel sola Dononiensium virginum clericorumque sibi succedentium religiosa gratave memoria facillime ad usque medium seculum XI immutata servari potuerint: quo demum tempore ad perennem posterorum memoriam jussu Fredesendis abbatis in Sanctæ nostræ matrisque ejus Vilam jam sæpe dicto anonymo itata fuerunt.

C  
nobilissimis  
opulentisque  
parentibus.

34 Fidem igitur in his, quantum ad substantiam, meretur Vila illa et ex ea desumptum primæ Dononiensis Lectionis exordium, quod ita habet: Beata Ragenfredis virgo sancta ex nobili Francorum genere orta, patre videlicet beato Aldeberto, comite Austroviandæ, et matre sancta Regina, nepte Pippini regis, dignitatem nativæ originis morum honestate atque operum sanctorum claritate nobilitavit. Sed neque indigna fide sunt, quæ de Sanctæ nostræ parentum divitiis ac pia munificentia in Cameracensis Breviarii, anno 1497 excusi, Lectione 1 et 2 hisce verbis referuntur: Fuit ex præclarissimo genere Francorum vir illustris opibus et prediorum affluentia dilatatus, nomine Aldebertus, qui procreandæ sobolis provocatus amore neptem Pippini, regis Francorum, nomine Reginam, in uxorem sibi expetiit, ejus conjugale consortium mox impetravit. Qui quoniam de facultatibus suis, oppressis et indigentibus abunde ministrabant (celestibus mandatis per omnia placere cupientes) ex eorum sancta connexione nata est eis propago veneranda, nimirum S. Ra-

genfredis, cui etiam novem sanctas sorores, at minus, uti infra dicemus, probabiliter, eadem Lectione secunda cum præfato anonymo tribuit.

35 Sunt et alia natalium S. Ragenfredis adjuncta, quæ idem anonymus vel ordinandi veri gratia ipse excogitavit, vel potius sibi ab aliis tradita bona nimis fide in litteras misit, de quibus pauca accipe. Ac primo quidem, uti et ante monui, non sub Pippino II, Theodorici III aut Teatricium anno 687 victore, quod anonymus adstruit, sed sub hujus nepote, Pippino III, anno 752 in regem Francorum electo, quem cum illo anonymus confundit, Sanctæ nostræ parentes conjugio juncti fuerunt, et nata dein ex iis est S. Ragenfredis. Adhæc, quæ de summa Aldeberti, patris ejus, in Pippini aula dignitate ac virtute bellica anonymus paucis perstringit, etsi quidem argui falsi nequeant; ejusmodi tamen sunt, ut quilibet scriptori seculi XI, hæc sine reustiore teste asserenti, non statim fidem adjuncturus sit, ac vel idcirco, quod omnia quæ illic scribit, quæque hic recitanda non censui, non videantur duorum seculorum spatio sola traditione sic illibata conservari potuisse, quin lapsu temporis fama apud Dononienses creverit, et Aldeberti dignitatem aulicam bellicamque virtutem ultra verum adornarit. Arbitror adeo, vel propterea factum esse, ut vir doctus, qui ex illa Vila ac fortassis etiam ex Cameracensis Breviarii propriis Lectionibus Dononienses de gestis S. Ragenfredis Lectiones desumptas, anno 1665 typis edi curavit, nullam horum, quæ jam discussi, adjunctorum mentionem in illis facere voluerit.

36 At quid de asserto passim SS. Reginae et Ragenfredis cum Pippino rege consanguinitatis gradu censendum? Num dici sat tuto potest fuisse illa Pippini neptis, ac nostra proin Sancta ejusdem regis proneptis, prout a Castellano et Martyrologii Parisiensis auctore nuncupatur? Respondeo, nulla prorsus ratione S. Reginam Pippini regis neptem, aut S. Ragenfredem ejusdem stricte dictam proneptem status posse, quales nimirum Galli suo idiomate petite-fille et arriere petite-fille vocant; cum eo tempore, quo S. Regina B. Aldeberto nupsisse, perhibetur, nempe florente adhuc Pippino, ac certe ante annum 768 huic regi emortuale, nec Carolus nec Carolomannus ejus filii jam tum id ætatis fuerint, ut filiam haberent nubilem, quandoquidem neuter eorum ante annum Christi 740 natus sit, primave pubertate matrimonium iniisse legatur. At vero non video, cur S. Regina alio sensu Pippini neptis, atque adeo et Sancta nostræ ejusdem proneptis dici non possent, eo videlicet, ut sanctæ Ragenfredis mater ex Pippini sorore Chiltrude seu Hiltrude, aut ex alia Pippino consanguinea principe progenita fuerit; cujus femine nomen cum minus, quam Pippini, postmodum regis, illustre esset, paulatim decursu temporis Dononiensibus exciderit, retenta semper Pippini regis, tanquam S. Reginae avunculi, memoria. Certe anonymus noster sat verisimiliter Dononiensium traditione, qua hujusmodi res conservari nata fuit, id edoctus, plus vice simplici Pippinum S. Reginae avunculum vocat, nec ullum ut ante etiam innui, inveni scriptorem, qui eam, ac proin et Sanctam Ragenfredem, istius regis consanguineam fuisse, neget.

37 Proximam hinc est, ut an Sancta nostra novem habuerit germanas sorores, quarum ipsa natu maxima fuerit, nunc inquiramus. Totidem omnino

et pie edu-  
cata, fertur  
quidem, at  
non satis  
prebatur,  
novem so-  
rores,

omnino (adi dicta sub finem num. 34) ei tribuunt anonymus, et Cameracensis Officii de S. Ragenfredem auctor, hisque et Lectiones Dononienses varique recentiores historici consentiunt. Earum nomina, natalium ordinem piamque institutionem partim præfatus Labarre cit. tom. fol. 388 verso et seqq. partim vi Lectio B. Aldeberti his verbis recensent: Successu temporis (B. Aldebertus et S. Regina) decem virgines legitimo hoc et sancto conjugio procrearunt, utpote beatas Ragenfredem, Cælestinam, Rosam, Ambrosiam, Avam, Euphrosynam, Helenam, Neptalinam, Paulinam et Carolam, inter quas non quinque fatæ, sed omnes sapientes: si quidem has omnes in omni virtutum disciplina instruendas piissimi parentes ab ineunte ætate curarunt, quibus accedebat cælestis sapientia, quæ omne studium humanum superabat. Hactenus ille, cui ego quidem ex anonymi fide asserenti lubens assentior, a sanctis suis parentibus Ragenfredem, et, si quas habuit germanas sorores, sancte etiam educatas et ad virtutem omnem institutas fuisse; et vehementer timeo, ne, quas ipse ex B. Aldeberto et S. Regina genitas affirmat, ex aliis, quam ex jam dictis, parentibus ortæ sint; nec hæc alio titulo earum filiarum dici possint, quam quod in cœtum monialium, quibus S. Ragenfredis, earum filia, præfuit, omnium primæ adscitæ fuerint, ejusque ita germanæ in Christo Jesu exstiterint sorores et in servanda virginitate æmulæ.

etque ger-  
manas, ha-  
buisse, quas  
aliqui, ac  
non recte,

38 Nec est sane, cur quis miretur, ampliore, quam duorum seculorum lapsu Dononiensium traditionem, quam anonymus plerumque secutus videtur, in aliquot minoris momenti rebus a vero non nihil destituisse, atque eatenus immutatam, ut, quæ revera non nisi adoptivæ, ut ita loquar, seu in religiosa vivendi norma ejus sorores fuerunt, seculo demum xi diuque postea ejusdem Ragenfredis germanæ secundum carnem sorores creditæ sint: etenim ejusmodi traditionis seu antiquæ famæ conversiones minime novas esse, norunt omnes, qui Sanctorum aliorumque illustrum virorum Acta, ab cœcivis supparibus non scripta, vel exiguo tempore pervolverunt. Quocumque modo hæc se habeant, certe neminem, ulcunque critices peritum, arbitror fore, qui, ut rem tam singularem credat, antiquioris certiorisque notæ instrumentis eam firmari non postulet. Porro videtur præfatus auctor paulo liberalius Beatarum titulum novem illis sanctimonialibus concessisse; nisi forte hoc titulo non publicam earum in Ecclesia venerationem, sed sanctum earum institutum piumque e civis exitum denotare voluerit, quod et quibusdam elapsi seculi hagiologis monasticis satis nimumque familiare fuit.

Beatarum  
Catalogo ad-  
scribitur.

39 Atque ita quidem de novem hisce præfatis Sanctæ nostræ sororibus universim statuo, nec ipsa excepta Ava superius memorata, utpote quæ a B. Ava, die xxix Aprilis in nostro Opere locum habente, omnino statui diversa debeat; quod vel hinc abunde patet, quod B. Ava, uti cit. tomo videre est, Dononii mortua sepultura sit, Avam vero suam anonymus et cum eo Historiæ SS. Reginæ et Ragenfredis num. 8 indicatæ auctor aliique, Romam petiisse et remotissime extra patriam suam peregrinantem obiisse, narrent. Quid porro de asserta ab his Romana S. Ragenfredis novemque ejus sororum peregrinatione, ceterisque, quæ huc auctores illi innectunt, non

parum admirandis gestis existimandum sit, § v edicam, cum ea, quæ peregrinationem illam præcessisse, anonymus aliique cum eo adstruunt, seorsum examinavero, ceteraque, quæ eo spectant, discussa pariter fuerint.

40 Itaque postquam citatus anonymus Legendæ suæ cap. 2, ex secundo S. Reginæ utero decem regales gemmas, seu virgines decem, ad unam omnes, ut scribit, sapientes, exortas, easque, liberalibus prius studiis, virtutibusque probe instructas, ad cœlibem vitam perpetuo agendam animatas narraverat, subdit ab earum sanctis parentibus ad Scaldim fluvium ædificatum fuisse cœnobium, in quo hæc sanctissime Christo famularentur. Verba, quibus id facit, hæc sunt: Est locus siquidem super Scaldum fluvium, qui ab antiquis et modernis dictus est Dononium, quem habitantibus commendabilem facit pratorum amenitas et planities, ubertas agrorum, opportunitas quoque loci, et utilitas diffluentis aquæ reddit gratissimum, quem sancti parentes (B. Aldebertus et S. Regina) congruum providentes voluntatibus suis, ut in eum constituerent maritorum loco donativum suæ filiationis, cogitant ibi ædificare ecclesiam in honore sanctæ Dei Genitricis, in qua per Virginem Matrem perpetuo floreret [corona] virginæ integritatis.... Placet sanctum in commune consilium, aptant animos labori ad ædificandum, quia dulcis erat labor, quem charitatis suggerebat amor. Ecclesia construitur, cœnobium instituitur, congregatio monialium constituitur, ut virginum amplificatio coronarum fieret multiplicatio, et construendum ædificatio. Quibus [ex copiosis] prædiorum suorum redditibus tantum delegatur, quantum videlicet sufficienter exigeret vita cœnobialis.

41 Aliam e regione ecclesiam in honore S. Martini satagant construere, ubi clericalis ordo constitutus Missas et cetera suppleret, quæ sexus fæmineus minus valebat: sicque expleta ad virginum [usum] structura ecclesiarum, tantum ibidem exhibent ornatum et apparatus, quantum a Deo volunt recipere felicitatis [præmium.] Felix talium conjugatio, quorum tot virginum integritate redintegratur corruptio, quas et omnes posteras constituunt hæredes patrimonii sui jure hereditario. Lætantur in operibus suis, congratulantur in sororibus suæ filiationis, quas quotidie cernunt ancillari Christo in timore castitatis. Ita de Dononiensis parthenonis erectione anonymus apud præfatum La Barre cit. tom. 6 part. 2 a fol. 395, si excipias, quas supplevi atque uncis includendas duxi voces, vel plane apud eum omissa, vel perperam ecarat. Hisce in substantia consona tradunt Cameracensis Breviarii supra citati Lectio iv, Dononiensis Officii, hoc die recitari soliti, Lectio v, Guisius item, seculi xiv scriptor, et ex recentioribus Petrus Louvius in Natalibus Sanctorum Belgii, ex Molani schedis adornatis, ad diem 1 Julii, Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis ad eundem diem, Locrius in Chronico ad annum Christi 764, Gazetus in Historia ecclesiastica Belgii pag. 154, Philippus Brasseur in Originibus Cœnobiorum Hannoniæ pag. 124, Mabillonius tom. 2 Annal. Ordinis S. Benedicti pag. 204 num. 73, Dionysius Sammarthanus tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 423, aliique complures, quos, ne longior sim, omitto.

AUCTOR  
J. G.

Sancta Dono-  
niense cœno-  
bium, etsi  
contrarium  
anonymus

E

Et Officii ec-  
clesiastici  
Lectiones ac  
voti erudit  
tradunt,

F

AUCTORE  
J. G.  
ex propriis  
bonis fun-  
davit uti  
diploma Ca-  
rolinum

42 Verum num his, partim tam antiquis, partim tam disertis eruditissimorum virorum testimonio credendum omnino est, Dononiensem parthenonem a Sanctæ nostræ parentibus, non vero ab ipsamet ædificatum seu fundatum fuisse? Respondeo, mihi vix, aut ne vix quidem dubitandum videri, quin, quidquid præfata obstant testimonia, Dononiensis parthenon sui erectionem S. Ragenfredi debeat, ejus vero parentibus id acceptum habere debeat, quod ipsi ea bona prædiciaque, quæ ad sui erectionem ab hac adhibita fuerunt, jure hereditario aut libera donatione ad suam filiam Ragenfredem transmiserint. Ita plane existimo ob Diplomatis Caroli Calvi et Cameracensis Chronici, quorum fides auctoritasque § 2 stabilita fuit, disertissima verba, quæ hic recitari merentur. Ita illud habet: Quapropter sciat omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium tam præsentium quam et futurorum industria, quoniam per carissimæ sororis nostræ, Gislæ scilicet nomine, crebram admonitionem, ac per dilecti nepotis nostri supplicem postulationem, quin insuper et pro animæ nostræ perpetua salute, abbatiam sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, nec non venerandæ virginis S. RAGENFREDIS, QUAM EX SUI PROPRIIS PRÆDIIS AC VERNACULIS IPSA VIVENS CONSTRUXIT, sitam super Scaldis fluvii ripam, in prædio, quod nuncupatur DONONIUM, ad pristinum certamus restituere statum.

et Cameracense chronicon, quibus potior habenda fides est.

43 Idem prorsus et Cameracense Chronicon lib. 2 cap. 28 his verbis testatur: Rursus quoque in vico Duneng beata RAGENFREDIS EX SUI JURIS REBUS cellam fundavit, et sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam abbatissa regimonium duxit. Quibus quid clarius asseri possit, non video. At, inquit, diploma illud, etsi ex ante dictis fictitium non sit; tamen anno dumtaxat Christi 877, ac proin non nisi fere seculo uno post cœnobii erectionem datum fuit; Baldericus vero, Cameracensis Chronici auctor, anonymum Dononiensem ætate, aut nihil, aut parum certe superat. Sint hæc ita: nihilo tamen minus auctoritatis palma binis hisce testimonio omnino deferenda est, tum quod diploma illud annis saltem 170 Dononiensi anonymo antiquius sit; tum quod publicum regiumque instrumentum sit, ac proin, quam sit privati juniorisque hominis testimonium, multo magis fide dignum; tum denique quod diploma illud ipsis temporibus, quibus

parthenon Dononiensis erectus et ad umbilicum perductus fuit, satis vicinum sit, ut sine antiquiore documento publico, quod in contrarium militet, credi nequaquam debeant aut Carolus Calvus, qui anno Christi 843 (adi tom. 8 Script. Rer. Gall. pag. 436) apud Valentianas ac forte etiam in vicino urbi huic Dononiensi parthenone degerat, aut ejus soror Gisla, aut regii cæsarei que ministri, quorum opera Dononiensis charta emissa fuit, aut Dononienses virgines, quæ illam expetierant, aut potius eos omnes simul in assignanda Dononiensis cœnobii origine tam cito a vero aberrasse, aut has rursus pro Aldeberto et Regina, quibus omnia sua debuissent, non sine infami ingrati animi vitio horum filiam obtruisse, quæ tantum a recta cœnobii jam ante, ut adversarii volunt, conditi administratione inclarrisset.

44 Quæ cum ita sint, vel solo hujus chartæ testimonio potius, quam anonymi compluriumque recentiorum, qui numerum quidem facere, at suis ea de re dictis pondus addere nequeunt,

omnino standum est. Quod autem ad Baldericum, Dononiensi chartæ adstipulantem, attinet, etsi is ab ætate non habeat, ut per se ipse res quas seculo VIII aut IX gestas refert, indubitanter reddat, ab eruditione tamen et veterum monumentorum, quæ ad manum habuit, copia ac sinceritate plurimum certe satisque auctoritatis habet, ut ei quidpiam, cui nemo antiquior doctorumque refragatus est, asseveranti, fides omnino adjungatur. Hinc tamen adstruere non ausim, etiam constructam in honore S. Martini ecclesiam, de qua adi citatum anonymum num. 41, suam quoque S. Ragenfredi originem debere; cum nec diploma Carolinum, nec Baldericus in Gestis Cameracensium antistitum hoc utcumque insinuet: imo contra credere malim, ecclesiam in honore Sanctæ nostræ parentibus, Austrocanthiæ comitibus, ad suos suorumque subditorum usum primitus constructam fuisse, deindeque post horum mortem cessisse sanctimonialium obsequio; atque hinc forte natam quoque esse opinionem, quæ ecclesiæ S. Martini fundatoribus ipsius etiam Dononiensis parthenonis erectionem adscripsit, quæ re vera S. Ragenfredi adscribenda erat.

45 Ut ut hæc sint, equidem ex binis optimæ notæ jam laudatis documentis emendanda est anonymi Dononiensis transcripta num. 40 et 41 narratio, ac proin et auctorum complurium a seculo XIV altera assertio, qua hic non modo Dononiensis parthenonis fundatores faciunt B. Aldebertum et S. Reginam, sed et hanc quidem etiam primam ejusdem cœnobii abbatissam, ducti forsasse quibusdam S. Reginæ depictis imaginibus, quibus, hæc non modo cum corona in capite, sed et cum baculo abbatiali exhibetur: quasi vero a paucis seculis per artifices antiquitatis ignaros efformatæ tabulæ diplomati regio-cæsareo, multis seculis antiquiori, ac Balderico, multis nominibus fide dignissimo scriptori, fidem adimere aut alterius assertioni vel tantillum obesse queant. Ceterum, quo præcise anno S. Ragenfredis ex suis propriis prædiis seu sui juris rebus Dononiense cœnobium erexit, tacentibus antiquis documentis, facile non est definire. Ferreolus Loerius in suo Chronico Belgico ad annum Christi 764 parthenonis illius erectionem statuit, quem et passim recentiores hic sequuntur. Verum tanto minus firma hæc Loerii opinio est, quod contra laudati diplomatis et Balderici testimonium non ipsimet Sanctæ nostræ, sed hujus parentibus cœnobii illius foundationem adscribat.

46 Mihi sane proprius vero videtur, sat multo, quam præfato anno 764, serius foundationem illam factam esse, puta post annum 780, quo tempore S. Ragenfredis, utpote medio circiter seculo VIII, uti passim creditur, nata, ea tunc ætate fuerit, ut et erigendo cœnobio, et duplici quidem, monialium scilicet et clericorum, non impar esset, atque, ut Balderici verbis fere utar, ut sanctimonialibus a se constitutis ipsa etiam abbatissa regimonium duceret. Superest, ut et de loco, quo cœnobium illud primo conditum fuerit, nonnulla etiam dicamus. Dionysius Samaritanus tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 422 Domini Godefroy, tabularii Insulensis in Flandriæ cameræ computorum præfati, sententiam, uti videtur, probans, illud cœnobium primo conditum fuisse. tradit, apud Berzellam juxta Flinas ad fluvium Sabim (Scarpum fluvium voluit dicere, origine et cursu a Sibi plane diversum) deinde translatum fuisse in castellaniam Bochani vulgo Bouchain. Verum cum neuter docu-

A mentum aliquod aut producat aut laudet, quo cœnobium illud alio prius, quam quo a seculo VIII cœstitisse noscitur, loco conditum, indeque translatum ad Scaldin fuisse, fidem faciat; opinio hæc pari, ac quidem majori jure negatur, quam quo sine ullo antiquo teste adstruitur.

#### § IV. An S. Ragenfredis, et adunatæ ab ea sanctimoniales, Benedictinæ, an canonicæ fuerint, inquiritur.

Ut Sanctam, de cujus Religiosæ vitæ genere con- trovertitur,

I nter auctores præcipuos, qui de Dononiensis cœnobii primordiis abhinc uno alterove seculo scripserunt, nequaquam de religiosæ vitæ Instituto convenit, quod S. Ragenfredis ejusque opera adunatæ virgines seculæ fuerint. Ferreolus Lorcius in Chronico Belgico ad annum Christi 764, Miræus in Origin. cœnobiorum Belgicorum cap. 52, pag. 156 et 157, et Cointius in Annal. eccles. Francorum ad annum 764, num. 16, Dononienses virgines non monasticæ, sed canonicæ, seu, ut ipsi etiam loquuntur, Regularis vitæ genus a parthenonis sui exordio sectatas fuisse, volunt, quibus et Constantinus Ghinius aliique canonici Regulares omnino consentiunt. Ex adverso Mabillonius Sæculi III Benedictini parte 1 in Indice Sanctorum Prætermissorum monachas fuisse ab initio, certo se persuasum habere, scribit; ob ea nempe, ni fallor, argumenta, quibus, nullas canonicas in Galliis ante sæculum IX existisse, in sua ad Sæculum 2 Benedictinum præfatione § III operose contendit. Consonant ei alii Benedictini scriptores, ut supra num. 16 videre est, omnesque, S. Ragenfredem ejusque socias virgines, non canonicas, sed moniales Benedictinas fuisse, volunt. Utri ex his rectius de hac controversia statuatur, ea jam dicendis facillime perspiciet eruditus lector.

Benedictini suam faciunt, varia proferunt argumenta.

C 48 Si re vera, quod Mabillonius cit. Præfatione num. 32 asseverat, nullæ canonicæ in Galliis, ac proin nec in Gallia Belgica, ante sæculum IX existerint; si reapse, uti num. 33 subdit, nullæ tum, id est, ante annum Christi 300, aliæ fuerint ancillæ Dei monasteriales (seu Sanctimoniales) quam monachæ, et quidem ejusdem Mabillonii judicio Benedictinæ; si, inquam, verum sit, tunc nondum canonicarum nomen audiri cœpisse, quæ omnia Mabillonius pro indubitatis habet: profecto vitæ dubitandum erit, quin S. Ragenfredis ejusque sociæ sanctimoniales S. Benedicti Regulam amplectæ fuerint, recteque adeo ejus parthenon a sui exordio inter Benedictina cœnobio a Mabillonio aliisque Benedictinis commeneratus fuerit. Contra vero, si assertiones hæc, quæ Benedictinis fundamenti vice sunt, minus solide subsistant, profecto non immerito ambigi poterit, an, quæ, teste Balderico lib. 2 cap. 28, post illatam a Normannis ruinam canonicis locum fecerunt, ab exordio canonicæ et ipsæ non fuerint, non tales quidem, quales hodierno tempore nobiles canonissæ sunt, quibus ad seculum redire nutiasque contrahere liberum est, sed tales, ut sub ordine canonico in servitutem divinam perpetua stabilitate firmatæ essent. Hæc igitur Mabillonii assertiones discutiamus.

49 Atque in primis quidem, cum concilium Ver- num, non Vercellis, ut perperam vult Benedicti- nus scriptor Corbinianus Khamm in suo Prodro- mo partis 3 Regularis pag. 6, sed in palatio Vernis apud Bellocacos anno 755 habitum, nihil inter- ponat discriminis inter viros feminasque, sese Deo devotentes, omnesque indiscriminatim cogat, aut monasticam sectari regulam, aut canonicam vitam sub episcopi regimine, prout Thomassinus Parte 1, lib. 3, cap. 43, num. 8 veteris et novæ Ecclesiæ Disciplinæ pag. 784 recte obser- vat; consequens fit, ut ante seculum IX, imo ante erectum Dononiensem parthenonem, ancillæ Dei velatæ (adi canonem XI hujus concilii apud Labbeum tom. 6 col. 1667) in rerum natura exstiterint, quæ sub manu episcopi sub ordine canonico vitam ducerent. Prima itaque Mabil- lonii, nullas ante seculum IX canonicas admit- tentis, assertio non subsistit. Vidit expenditque hæc laudatus Corbinianus Khamm, et quamquam accerime illic pro sui Ordinis tuenda adversus Canonicos Regulares præstantia depugnet, candide tamen pag. 10 fatetur, Deo sacratas virgines, a monialibus Benedictinis diversas, primum circa annum 755 (ac proin sat diu ante seculum IX) cœpisse nominari CANONICAS, a REGULA SEU ORDINE CANONICO.

50 Multum quoque a vero aberravit Mabillo- nius, dum eadem Præfatione num. 33 confiden- ter statuit, anno Christi 813, quo Cabilonense con- cilium habitum est, novellum adhuc canonicarum Institutum fuisse, seu seculi IX initio recen- tius, idque ex illius concilii Canone 55 satis pro- bari, contendit. Etenim, tametsi hujus concilii patres cit. canone dicant, sibi placuisse admo- nitionum eis sanctimonialibus scribere, quæ se CANONICAS vocant; hinc tamen legitime conse- quens non fit, ut tunc vel ante 30 pluresve an- nos in Lugdunensi provincia canonicæ non exstiterint; aut certe, dato etiam gravissime ad- misso, eas in Lugdunensi provincia non diu ante annum 813 exortas fuisse, nequaquam hinc con- sequitur, ut ante annos saltem quinquaginta in Gallia Belgica aliisque regionibus ejusmodi sanctimoniales fixum domicilium non habuerint. Quid? Quod non concilium Vernum dumtaxat anno 755 ancillas Dei, sub Ordine canonico viven- tes, commemoravit; sed et Francofordiense, an- no Christi 794 celebratum, canone 47 manifeste indicet (adi Labbeum tom. 7 Conc. col. 1063) F jam tum abbatissas aliquot inventas fuisse, quæ a primæva canonicæ non viventes ab episco- pis requiri et regi denuntiari jubet; quæ sane canonicarum sanctimonialium Institutum non adeo vel tunc novellum fuisse ostendunt.

51 At, inquit, tametsi in quibusdam Galliæ ant Germaniæ regionibus canonicæ sanctimonia- les seculo VIII exstitisse admittantur; verisimile tamen non est, tales exstitisse in Cameracensi et Atrebatensi unius tunc sub solo Cameracensi episcopo diocesis, ac proin nec in Dononiensi parthenone, utpote in Atrebatensi diocesi sito. Quid ita? Quia nempe S. Bonifacius, antistes Mo- guntinus et legatus Apostolicus, in Liptinensi, ut statuit Mabillonius, concilio, anno 743 (apud l'Esti- nes, duabus leucis ab Hannoniæ metropoli di- stantem locum) celebrato, expresse statuit, ut monachi et ancillæ Dei monasteriales juxta Regu- lam S. Benedicti vivere studeant: nullæ igitur

AUCTORE J. G. sed quorum primum, ut pote contra- rium concilio Verno, nihil evincit.

uti nec illud, quod ex concilio Cabilonensi for- mant,

sed nec aliud, ex decreto S. Bonifacii pe- titum,

AUCTORE  
J. G.

*tur tunc fuerunt aliæ ancillæ Dei monasteriales, quam monachæ; nec veri speciem habet, eodem labente seculo VIII, in ipsa diocesi Atrebatensi sub alia Regula, quam sub Benedictina, erectum aliquem fuisse sanctimonialibus parthenonem. Quod attinet ad priorem hinc deductam ab adversariis sequelam, respondeo, S. Bonifacium more antiquo, ac suo, solas monachas in ancillis Dei monasterialibus numerasse, ac proin canonicarum antiquitati canonem illum non obesse, uti ante me jam dudum etiam observavit P. Le Large, auctor Disquisitionum de Canonicorum ordine, Parisiis anno 1697 editarum, pag. 123, ubi hæc aeternam nostram subdit: eodem enim recidit canon ipse per sese, ac si prætermisso canonicarum ordine, et ad alium Canonem Bonifacianum (nempe 13, quem habes tom. 9 Spicilegii Acheriani primæ editionis pag. 64) reservato, hoc præcise statuatur, ut monachi et monachæ juxta Regulam sancti Benedicti vivere studeant; qua de re quid ad canonicas?*

B 52 *Quod si quis contendat, a S. Bonifacio nomine ancillarum Dei monasterialium canonicas etiam comprehensas fuisse, non multum ego refragabor, et cum Auctore Disquisitionum supra laudato itidem reponam: Sin autem forte Bonifacius ipsas canonicas reposuit in Ancillis Dei monasteriales, easque ferre non potuit diutius a S. Benedicti Regula alienas esse, qui sic habent persuasum, ipsi viderint, quantum in hac nostra causa Bonifacius Decreto suo Germanico profecerit. Certe Beatus Antistes non impedit, quominus canonicæ sanctimonialis passim in Galliis præterire regulam Benedictinam jure suo perrexerint. Docet hoc Vernensis (de quo nos supra) canon, quo ancillæ Dei velatæ sub ordine canonico constituuntur in manu et tutela episcoporum; sed planius adhuc id ipsum docent exempla multarum sanctimonialium, quæ ante seculum IX canonica vita floruerunt. Ita ille, quem plura de his disputantem consulat, si lubet, curiosus lector.*

53 *Ego in illa Mabillonii verba, quibus in citata Præfatione num. 32 præfatum S. Bonifacii canonem in Liptinensi concilio conditum affirmat, hæc sola observo: eruditissimum virum concilii Germanici, anno 742 vel Ratisbonæ vel Augustæ Vindelicorum celebrati, canonem septimum Liptinensi concilio, quod Canones dumtaxat quatuor complectitur, perperam attribuisse; sed neque ex Liptinensi canone 1, quo abbates et monachi recepisse Regulam S. Benedicti asseruntur, consecrarium ullo modo fieri, ut inter omnes ecclesiastici ordinis clerum, qui, teste ejusdem concilii canone 1 apud Labbeum tom. 6 Concil., col. 1537, antiquorum patrum canones suscepit suisque exprimere voluit moribus, non æque mulieres canonicæ, seu uti Sigebertus ad annum Christi 820 eas vocat, clericales sanctimonialis exstiterint, quam viri canonici, qui certe sub omni ecclesiastici ordinis clero comprehendi debent. Et est profecto, cur credamus, non exiguo temporis spatio, nec fungorum instar, tot in Galliis fuisse exorta canonicarum cœnobii, quot ab anno 816 jam tum illic, ac nominatim in Burdegalensi et Senonensi subditis diocesisbus exstiterint, nec tamen inter recens condita numerata fuisse, ex Ludovici Pii ad Burdegalensem, Senonensem aliosque, uti videtur, metropolitans datis epistolis, quas apud Labbeum tom. 7 Concil. a col. 1438 habes, colligere datur. Imo potius credibile est, puellaria illa cœnobii ac virginum canonicæ degenti-*

um societates in illis litteris memoratas, pedetentim dumtaxat, ut fieri alias assolet, ac proin quinquaginta circiter annorum curriculo exoriri, alias post alias, cœpisse; ac verisimiliter quidem vel paulo post Concilium Vernum, anno 755 habitum, quo nempe statutum fuit, ut ancillæ Dei velatæ sub ordine regulari aut sub manu episcopi sub ordine canonico regulariter viverent.

54 *Quod vero ad alteram objecti num. 51 argumenti sequelam attinet, ego illam pariter minime legitimam conseo; cum ex citato canone septimo Concilii Germanici, vel ex Liptinensi canone 1, quo abbates et monachi recepissent Regulam sancti Benedicti, nequaquam necesse sit consequi, ut etiam canonici Ordinis alumni (adi et dicta pag. 291 numm. 12 et 13) Regulam S. Benedicti receperint, nedum ut ad normam parthenonum, qui ex citato Vernensi synodi, anno 755 habitæ, canone XI sub manu episcopi sub ordine canonico ordinati erant, nulla prorsus eodem temporum velatarum Dei ancillarum cœnobii in Belgio erigi similiterve ordinari poterint; ut potius oppositum, si ad ipsam Vernensis synodi canonem IX, atque ad alia supra dicta infraque etiam dicenda animum advertamus, multo fiat verisimilius, ac vix non indubitatum. Itaque, quidquid contradicat Mabillonius, poterunt Dononienses sanctimonialis, usque ad juncti fratres clerici a parthenonis exordio canonici Ordinis fuisse; nec, quia ante seculi IX initium S. Ragenfredi Religiosæ vitæ institutum amplexum est, consecrarium fit, ut monialis Benedictina certo exstiterit, aut ejus cœnobium ab exordio Benedictinis annumerari debeat, ut sibi Mabillonius, at non satis, meo judicio, fundate, certo persuasum habuit.*

55 *At sciscitaberis modo, an S. Ragenfredi conditum a se parthenonem canonico Ordini indubie subjecerit, fueritque adeo et ipsa sanctimonialis canonica, eo nimirum sensu, quem sub numeri 48 finem indicavi? Respondeo, nec me id pro certo adstruere audeo, propterea quod monumenta, quæ omnino hac super re diserta aut indubie satis antiqua sint, mihi minime suppetant. Sunt tamen nonnulla indicia, ex quibus, Sanctam nostram ejusque sanctimonialis socias canonicæ vitæ normam secutas fuisse, non temere colligas. Etenim, cum Baldericus, accuratus, fideque dignissimus, ut supra ostendimus, auctor, lib. 2 Chronici Cameracensis et Atrebatensis cap. 28, Dononienses sanctimonialis, incumbente jam inopia, paucis canonicis locum fecisse asserat, nec tamen usquam insinuet, hosce ante parthenonis calamitatem Benedictinis aliisve monachis successisse; at potius canonicarum veterumve cœnobii incolarum numerum, antiquitus non exiguum, cogente inopia, ad paucos canonicos redactum fuisse, innuat; non monachas Benedictinas, sed sanctimonialis canonicas ante cœnobii inopiam, seu ante Normannorum sub anno 880 exitialem excursionem, cum non paucis ejusdem canonici Ordinis alumni Dononii collocasse, non immerito dici potest. Ac proin, cum nullo ex capite verisimile fiat, labente primo Dononiensis cœnobii seculo, duo plane diversa Religiosæ vitæ Instituta in illud fuisse introducta; non abs re, Dononiense cœnobium vel ab ipso suo exordio a canonicis utriusque sexus alumni habitatum fuisse, ex Balderici verbis credere licitum est. Sane, cum jam mox laudatus auctor, Dononiensibus canonicis clericis Gerardi I episcopi et Ledu-*

A ni abbas consilio moniales, Benedictinas nempe ut infra videbimus, substitutas fuisse, disertissimis verbis in litteras miserit; vix dubitandum videtur, quin, si Benedictinis monachis canonici, incumbente inopia, substituti fuissent, Benedictinorum, quibus canonici suspecti fuissent, qualemcumque saltem mentionem quoque fecisset, cum tamen illorum, ne levissime quidem, citato capite aut alibi meminerit.

et ex diploma  
Caroli  
Calvi, Ni-  
vellensis  
dato,

56 Quod si, uti a vero minime alienum est, Dononiensis parthenon ante Normannorum excursionem, ac vel a suo exordio ad Nivellensis S. Gertrudis cenobii, utpote ceterorum in Belgio parthenonum etiam sec. VIII celeberrimi, normann efformatum fuerit; vix dubitandi locus erit, quin Dononiensem æque ac Nivellensem parthenonem cum sui ordinis sanctimonialibus canonicis, se-junctis tamen ædibus, tunc temporis incoluerint. Ne autem, quod de Nivellensibus dixi, aut gratis aut falso assertum videatur, ipsamet subdo Caroli Calvi verba, quæ in concessio Nivellensi cenobio diplomate apud Miræum in Donat. Belgicis pag. 387 et tom. 8 Script. Rer. Gall. pag. 666 existant. Ita illic imperator loquitur: Noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque presentium et futurorum industria, quoniam nos ob amorem Dei ac deprecationem Richildis imperatricis augustæ, dulcissimæ conjugis nostræ, concedimus ad usus fratrum seu sororum, SANCTIMONIALIUM videlicet et CANONICORUM (non igitur monacharum et monachorum ordinis S. Benedicti) Nivellæ cenobii, quod conditum est in honore S. Mariæ, in quo etiam S. Gertrudis corpore quiescit, res quasdam, quæ singulatim dein ibi recensentur, quasque ego, quod huc non spectant, hic prætermitto.

uti et mo-  
nacharum  
aut Regule  
S. Benedicti  
in alio di-  
plomate  
omissione

57 Atque in hac quidem sententia, quæ ante memoratam a Chronographo Cameracensi Dononiensis cenobii inopiam illud a canonici Ordinis utriusque secus religiosus inhabitatum adstruit, pronum est rationem reddere, cur in Caroli Calvi diplomate Dononiensi, infra exhibendo, de Regula S. Benedicti, quæ alias toties in concessis in Benedictinorum favore diplomatum recurrit, nulla prorsus mentio fiat; cur illidem Abbatibus, aut monachorum vel monacharum nomina, aliæ voces, quibus Benedictini Ordinis alumni designari solebant, nusquam illic compareant; sed contra sub solo Fratrum Sororumque nomine ejusdem cenobii utriusque secus incolæ veniant: nimirum propterea, quod iidem parthenonis, a S. Ragenfrede erecti, incolæ labente seculo IX non magis Benedictini Ordinis fuerint, quam Nivellensis in Belgio abbatibus Fratres Sororesque, quos citatum Caroli Calvi diploma, anno 877 datum, disertis verbis Sanctimoniales et Canonicos, non vero Benedictini Instituti monachos vel monachas appellat, quosque nec unquam ante monachos fuisse, insinuat. Cum igitur ipsa ratio dicet, ipseque Mabillonius in cit. Præfatione asserat, sanctimoniales illas debere monachas statui, quibus monachi; Canonicas vero illas, quibus Canonici sacra administrarunt; consequens fit, ut certe ante seculi IX exitum Nivellenses sanctimoniales, utpote quibus canonici sacra ministrabant, canonicæ et ipsæ fuerint, ac proin verisimilius et Dononienses, ad normam Nivellensis, uti probabile est, a S. Ragenfrede constitutæ sanctimoniales, quas tam cito, ut et num. 55 monui, ab uno ad aliud Religiosæ vitæ Institutum transcurrisse non facile quispiam credet.

Octobris Tomus IV.

58 Ex his non temere sibi quis in animum inducet, Baldericiani Chronici, cujus autographum perit, aut certe latet, laudatam a Miræo et Loerio lectionem, qua Dononienses sanctimoniales Regulares antea fuisse, asseruntur, utpote prioribus Balderici dictis magis consonam, strictiusque coherentem, præferendam esse lectioni duorum Mss. codicum, quos Colvenerius in edendo eodem Chronico, præ manuscripto Rubæ-vallis sequendos ducit. Ita certe aliquando censuit Miræus in Opere, quod Origines cenobiorum Benedictinorum in Belgio inscripsit annoque 1606 Antverpiæ edidit. Illic quippe cap. 52 pag. 156 et seq. ita loquitur: Ceterum virgines Dononienses non monasticæ, sed canonicæ seu Regularis vitæ genus initio sectatæ sunt: post Normannorum autem vastationem, consilio Gerardi, eo nomine primi, Cameracensis episcopi, et Leduini abbatis S. Vestasti, itemque Balduini Flandriæ et Haannoniæ comitis, Benedictinum institutum sunt amplexæ. Neve hæc a se haud satis fundate asserta dici queant, similem ei, quam Ms. Rubæ-vallis codex præfert, Baldericiani Chronici lectionem producit, qua nixus, se harum rerum, quas alstruit, fidum testem habere dicit Chronographum Cameracensem, ita cit. lib. 2 cap. 28 loquentem: In vico Doneng beata Ragenfredis ex sui juris rebus cellam fundavit, et sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam abbatisa regimonium duxit. Hanc autem postea incumbente inopia inclinantem, pauci canonici incolebant, sed postmodum consilio domni Gerardi episcopi et Leduini abbatis, Balduinus comes ad pristinum statum monialium reduxit, ibique moniales sancti Benedicti, CUM ANTEA FUISSENT REGULARES, introduxit quibus abbatissam Ermentrudem præfecit.

ACTORE  
J. G.  
ac denique ex  
duorum Mss.  
lectione, Bal-  
derici verbis  
consona, con-  
cludi potest.

59 Ceterum, cum Dononienses Sanctimoniales ab initio et usque dum suo cenobio inopia incubisset, Regularis vitæ genus sectatas, seu canonicas Regulares existitisse, apud Baldericum, Miræum, Loerium, Cointiumque legimus, hæc non ita intelligenda sunt, quasi vero illæ aliæque ejusdem temporis canonicæ vel hodiernis Ordinis S. Augustini Regularibus canonissis, vel hujusce temporis nobilibus canonissis assimilandæ forent, quandoquidem, ut jam mox ostensum eo, ingens inter utrasque discrimen fuit. Nam primo quidem, quod ad hodiernas Ordinis S. Augustini canonicas Regulares attinet, hæc non modo perpetuæ castitatis obedientiæque, sed et paupertatis voto obstrictæ sunt, ac proin singulæ, seu in particulari, ut vocant, omnis bonorum temporalium dominii, ac liberi eorum pro arbitrio suo usus expertes atque incapaces sunt. Tales autem quantum ad rerum temporalium dominium usumque pertinet, prisce illæ canonicæ non fuerunt, uti ex ipso Aquisgranensi concilio, anno 816, ut supra dixi, celebrato, manifestum est. In eo etenim lib. 2, qui inscribitur De Institutione sanctimonialium, et quo earum Regule ad uniformem stabilemque normam redactæ fuerunt, cap., seu can. IX, tom. 7 Concil. apud Labbeum col. 1427 hæc ad rem nostram præscripta existant: Providendum est his, quæ ob amorem Christi castimonie se dicaverint, et in collegio sanctimonialium (canonicarum nempe, seu Canonice, ut ibidem col. 1406 in Præfatione notatur, degentium) se admitti postulaverint, ut res suas, antequam monasterium ingrediantur, ita sapienter prudenterque deliberent, sic tamen, ut ab hodiernis, canonicis Regularibus, in retinendo

43 atque

AUCTORE  
J. G.

atque disponent, ut ad vitam tendentes eternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem. Proinde si aliqua sanctimonialium res suas proprias ecclesie ita contulerit, ut nihil ex his sibi proprium vindicare, sed tantum rebus sustentari velit ecclesie, huic sufficienter in congregatione stipendia largiantur necessaria. Si autem ecclesie eas tradiderit, et usufructuario habere voluerit, quæstor ecclesie eas, utpote ecclesie, defendat.

bonorum  
suorum do-  
minio et  
usufructu  
\* alii

60 Quod si eas ecclesie conferre noluerit, abbatisa et ceteris sanctimonialibus convenientiam adhibentibus, committat eas per scriptum publice roboratum aut propinquo, aut alio \* cui libet bonæ fidei amico, qui eas jure fori defendat. Secundum hanc igitur constitutionis formam, sanctimoniales suas proprias res delibere et disponent, et aut servis, aut certe aliis, quibus illis libuerit, eas ad procurandum sibi que fideliter earum fructus administrandum, commendat. *Liberum itaque antiquis canonicis sanctimonialibus fuit, ex rebus suis sibi proprium vindicare, rerum suarum usufructum retinere, seu administratis sibi fideliter earum fructibus uti. Et rursus per Canonem, seu caput 13, col. 1430 Sanctimonialibus illis liberum relinquitur, ut, si velint, nihil proprium habeant; quo casu iis misericorditer necessaria quæque præbenda erunt; dum aliis, uti ex hisce verbis a contrario eruitur, quæ rerum suarum usufructum retinuerunt, seu earum fructibus sibi fideliter administratis uti volunt, alio modo prospectum est.*

plurimum  
discreparint,  
in eoque Beg-  
ginis nostratibus  
similes  
fuerint,

61 Denique, quod idem Aquisgranense de canonicis universim pronuntiat, id etiam de sanctimonialibus canonicis illius temporis locum habere videtur, estque hisce canonis seu capituli 115 verbis col. 1389 conceptum: Quamquam enim canonicis, quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carniibus vesci, dare et accipere, proprias res et ecclesie cum humilitate et justitia habere, quod monachis... penitus inhibuitur est: non tamen in cavendis vitis et amplectendis virtutibus eorum a monachorum distare debet vita. Itaque in retinendo bonorum temporalium dominio et usufructu canonicæ illæ ab hodiernis Ordinis S. Augustini canonicabus Regularibus, seu quantum ad votum paupertatis, immensum discrepabant, erantque adeo prisce illæ ea in re hodiernis canonicissis nobilibus nostratibusque Begginis, quam canonicabus Regularibus hodiernis immenso quoque similiores.

a quibus ta-  
men, et ab  
hodiernis  
canonicissis  
nobilibus,

62 At vero et a canonicissis nobilibus Begginisque nostratibus alia in re prisce illæ canonicæ plurimum differebant. Nam, etsi in quibusdam parthenonibus ab abbatisa Officialibusque, ut vocant, perpetuæ castitatis votum emitti soleat, id tamen non in omnibus usu receptum est, et Dononiensibus canonicissis Officialibus ipsique etiam abbatisæ ad seculum reverti, atque, relicto parthenone, ad nuptias transire omnino liberum est, prout ex ipso ore nobilissimæ Dominæ, Mariæ Ernestinæ Annæ du Chastel de Petrieu, hodiernæ Dononiensis abbatisæ, intellexi, cui profecto hæc in re magis, quam recentioribus quibusdam scriptoribus, qui contrarium tradunt, habenda fides est; Begginis autem quibuscumque omnique tempore ad seculum redire liberum esse, notius est, quam ut probari debeat. Contra vero prisce canonicæ sanctimonialibus liber ad seculum regres-

sus minime patuit, uti ex citati Libri 2 de Institutione Sanctimonialium cap. seu Can. x apud laudatum Labbeum col. 1428 omnino ex his verbis liquet: Meminisse debent, quæ se castimonialis nominis professione Domino devinverunt (nempe canonicæ) in MONASTERIIS JUGITER RESIDERE, et Domino tota mentis et corporis intentione instanter deservire debere.

63 Porro id ipsum variis locis confirmatur, ac nominatim cap. seu can. xi, quo jubentur abbatisæ canonicarum summa intentione salagere ut monasteria puellarum ita undique firmissimis circumdantur munitionibus, ut nulli intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus, utque nec sanctimoniales foras vagandi habeant facultatem, ac denique omnia domi recte ordinata sint, uti, quæ Domino devoverunt, postposita omni excusatione, INVIOLABILITER custodire valeant, ac denique cap. seu can. 18; ubi inter alia, quæ sanctimoniali, se emendare nolenti, faciendi præscribuntur, hæc, quæ huc faciunt constituta exstant: Postremo si, his omnibus exhibitis, inemendabilis atque incorrigibilis apparuerit, QUIA NULLATENUS HUIUS SÆCULUM REPERTURE PARS EST, advocetur, si necesse est, episcopus... quatenus et penitentiam sibi ab eo injunctam salubriter gerat, et ceteris nullius contagionis morbum inferre valeat.

64 Postremo, ut alia minoris momenti præmittam, hoc etiam inter prisce illas canonicas, hodiernasque Regulares Ordinis S. Augustini, uti et inter nobiles canonicas Dononienses aliasque hisce postremis affines, intercedit discrimen, quod hæc ex Constitutionum suarum præscripto nigris vestibus constanter uti non debeant; at contra, dum a choro seu Officio ecclesiastico absunt, cuiuslibet coloris vestimentis et secularium dominarum ritu, modeste tamen ornatis, liberum illis sit indui; nostrates vero regulares S. Augustini canonicæ tam in choro, quam extra illum, vestimentis candidis ejusdemque semper formæ, lineoque insuper amiculo, seu, ut vocant, superpelliceo induantur, cum ex adverso prisce illæ sanctimoniales canonicæ nigri coloris vestibus usæ fuerint, uti ex ejusdem Aquisgranensis concilii can. seu capite x apud cit. Labbeum tom. 7 Concilior col. 1428 jam nunc recitandis verbis intelligitur: Meminisse debent, quæ se castimonialis nominis professione Domino devinverunt, in monasteriis jugiter residere et Domino tota mentis et corporis intentione instanter deservire debere, nec solum velamentum corporis sine ornamento mentis sibi prodesse posse. Quoniam nihil prodest corpus velare et mentem vitiorum portantis maculare. Quid enim prodest corpus velare et animum habere venenatum? Quid prodest NIGRIS VESTIBUS INDUI et a detractioe linguam non cohibere? Hactenus idem concilium; ex quibus verbis non tum primum nigrarum vestium usum sanctimonialibus canonicis præscriptum, sed, ut jam ante innui, ab omnibus passim adhibitum, rite confirmatum fuisse, jure merito colligitur. Nunc, quoniam hæc in parte ditam a Sollerio fidem liberasse satis videor, ad reliqua S. Ragenfredis gesta discutienda gressum facio.

§ V. Sanctæ gesta, ab anonymo Dononiensi aliisque relata, examinantur : emortuale ejus tempus utcumque definitur.

Anonymus Dononiensis relatis aliquot Sanctæ virtutibus,

Citatus jam sæpissime Dononiensis seculi XI scriptor anonymus, cum Legendæ suæ cap. 2, Dononiense cœnobium a B. Aldeberto et S. Regina, at perperam, uti supra ostendimus, conditum asseruisset, in eoque monialium congregationem, in qua perpetuo floreret corona virginæ integritatis, constitutam itidem fuisse, narasset; virtutes quasdam, a S. Ragenfrede ejusque, ut vult, sororibus, in eo exercitas, oratorio hic potius, quam historico more, his verbis commemorat : Quis enim valet enarrare virtutes, quas in se continuerunt puellæ regales?

B Quidquid scribendo primum voltero arripere, sequentium vilescet comparatione. Jejunium prædicem? Sed prævalebunt orationes et elemosynæ. Humilitatem laudem? Sed major est ardor fideli cum pietate. Dicam in vestium sericarum condemnatione plebeios cultus et servilia indumenta eas quæsisse? Sed plus est animum, quam cultum deposuisse; difficilius enim arrogantia, quam auro caremus et gemmarum paritura, seu ornatu. Hisce aliisque pluribus virtutibus effulsisse sanctam Ragenfrede, Dononiensi anonymo quilibet facillime credet; at non sic apud cordatos homines fidem invenient omnia, quæ et ipse, et prolixæ de SS. Regina et Ragenfrede Historiæ memoratus num. 8 auctor multis verbis de Sancta nostra mox enarrare incipiunt. Utriusque narrationem, ne longiore sim, in epitomen contraham quidque de ea stalendum sil, subjunctis observationibus edicam.

subdit, eam cum 9, ut vult, sororibus, bino prius facto miraculo, Romanam petisse;

C 66 Si seculi XI animum audiamus, S. Ragenfredis ejusque, ut vult, sorores post contemplationis exercitium, quod divinæ exhibuerant majestati usque ad perfectum, post macerationem virginæ carnis, in vita, ut perperam contendit, monastica adhibitam, ex inspiratione, sibi divinitus facta, Dononiensem parthenonem ceteraque illic omnia relinquere, postpositoque divino amori parentum affectu, voluntariam aggredi peregrinationem nec non ubi Sanctorum ecclesias invisere decreverunt. Extorta, si Historiæ jam citatæ auctori fides hic est, potius quam oblenta a parentibus peregrinandi facultate, die illo, quo iter instituturæ erant, splendidum apparatus prandium, sub cuius finem adsunt præ cœnobii foribus bini pauperes, alter mutus simulque cæcus, alter leprosus, suæ inopiæ subsidium aliquod, quo valent modo, enixe postulantes : accurrunt S. Ragenfredis novemque sorores, panem, carnes et vinum deferentes, quæ cum una ex his, nomine Aca, sororum nomine distribuisset, ecce subito cæco illi muloque visus ac loquela, leproso autem integra corporis sanitas imperitur. Tum, uti ambo jam citati scriptores subdunt, non sine lacrymis parentumque singultu invicem vale dicto, Ragenfredis novemque illæ sorores Dononio discedunt, et solæ quidem, ut anonymus scribit, eunt, eunt solo Deo comitante, nunquam, excepta una, reversuræ, neque parentes amplius, nisi ante Deum,

repetituræ : et post nonnulla ita prosequitur : Vadunt via luctuosa, currunt cum pietate et misericordia.... et quia... mensuram charitas non habet,... procedunt et incedunt non recto tramite, quia ubicumque merita Sanctorum audierint, non sustinent se præterire, donec tandem Romam perveniant.

67 In hanc modo Dononiensis seculi IX scriptoris alteriusque supra memorati narrationem, cui Cameracense et Dononiense Breviarium in substantia consentiunt, nonnulla, ut spondei, ob-servo. Ac universim quidem, cum tam singularis tamque miris adjunctis vestita decem sanctimonialium peregrinatio non vetustiore, quam anonymi Dononiensis, duobus et ultra seculis a S. Ragenfrede remoti, testimonio nitatur; ex hoc sane capite non immerito ambigi de narrationis illius veritate potest. Ast an ipsa facti substantia, seu suscepta aliquando a sancta Ragenfrede peregrinatio Romana pro indubie falsa habenda est? Respondeo, cum etiam post medium seculum VIII, quo Sancta nostra vivit, tantus fuerit fidelium ardor adeundi sacra loca, præsertim, quæ Apostolorum Principis sanguine sacrata fuerunt, ut non homines plebei tantum, sed et clerici virique principes ad ea se certatim conferrent, uti inter alios apud Thomassinum tom. 2 veteris et novæ Disciplinæ Ecclesiæ pag. 693 multis testimoniis probatur; haud ita alienum a vero foret, etiam a S. Ragenfrede nonnullisque suæ conditionis feminis Romanam peregrinationem susceptam aliquando fuisse; at certe nec eo tempore id factum dici potest, quo illa se jam Deo in Dononiensi cœnobio devoverat, quoque, ut Balderici verbis utar, ejus regimonium ducebat; nec eo itidem modo, quo id factum esse, num. 66 adstruitur.

sed, si revera Romanam profecta aliquando sit,

68 Etenim, uti apud Labbeum tom. 6 Concil. col. 1666 videre est, cum per canonem seculum concilii Vernensis, anno 755 celebrati, expressis verbis constitutum esset, ut nulla abbatissa (ac proin sive Benedictinarum, sive sanctimonialium, sub Ordine canonico viventium, esset) extra monasterium licentiam haberet exire, nisi hostilitate cogente; quis sine cœvi supparisæ saltem scriptoris testimonio sibi in animum inducat, decretum hoc, quod et Pippinus et dein Carolus Magnus observari, omnino voluerunt, a Sancta nostra ejusque monialibus fuisse violatum, eamque adeo cum novem sui cœnobii virginibus, quos magis etiam, quam ipsam decretum illud constringebat, nulla hujus habita ratione, ac potius a parentibus extorta, quam oblenta, facultate, Romanam instituisse peregrinationem? Nam, quod reponi posset, non statim a condito cœnobio S. Ragenfrede ei præfuisse; id enimvero et gratis assertum et Balderici verbis num. 43 recitatis contrarium est. Quinimo, tametsi eam tunc, cum susceptam ab ea peregrinationem quidam asserunt, abbatissam non fuisse, admitteretur, ne sic quidem ab ea tunc fieri illa peregrinatio potuit, dum, ut ipsi volunt, sub matris suæ regimine in Dononiensi cœnobio jam tum Deo militare ceperat; quandoquidem ipsis monialibus multo magis, quam abbatissis extra monasterium exire et evagari, per canonem illum vetitum esset. Scio quidem, abbatissas monialesque in Italia vicinisque regionibus sub seculi VIII finem suis claustris contineri vic potuisse, quin in iter Romanum se darent; at simile nihil a Belgicis sanctimonialibus post celebratam synodum Vernensem tentatum fuisse legitur, neque id sine auctoris

id non probatur fecisse tempore, ab anonymo as-signato,

F

AUCTORE  
J. G.

nec modo,  
ab eodem as-  
serio,

auctoris bonæ notæ testimonio credi ullatenus debet.

69 Quod autem ad susceptæ, ut volunt, a Sancta nostra peregrinationis modum attinet, refugit animus, auctori minime coævo credere, nobilissimam virginem, regioque ortam stemmate, nullo stipatam famulatio, quaquaversum, ubi Sanctorum ecclesiæ celebres eassisterent, dicertisse, Romanque tandem ita profectam esse cum solis novem junioris ætatis virginibus, tanto suæ dignitatis dispendio, nec minore professionis suæ earumque omnium pudicitia periculo. Opinari itaque ego malim, S. Ragenfredem, si eam aliquando Romam ad Apostolorum limina profectam fuisse, citati supra auctores recte scripserint, id tunc dumtaxat fecisse, cum Dononiensem abbatiam neclum ex suis propriis prædiis bonisque condidisset, neque religiosæ vitæ Institutum esset amplexa; eamque potius integerrimæ vitæ optatum Gallia, qui Romanæ peregrinationis, uti ex Eginhardo in Vita Caroli Magni et citatis a Thomassino cit. tom. 2 testimonio colligi potest, summo fervore æstuebant, sese tutelæ comisisse, quam ut cum novem virginibus sine

B ullo, ut ipsi volunt, famulatio aut consortio humano, seu solo Deo comitante, tam periculosam iter arripisset.

nec item  
prius patra-  
to indubie  
genio mi-  
raculo.

70 De patris, quæ narratio citata adstruit, binis miraculis, priusquam nempe S. Ragenfredis ejusque sociæ sese e Dononiensi cœnobio in riam darent, nihil opus est multis disserere; cum credi ejusmodi prodigia non debeant, quæ solo auctoris, binis et ultra seculis re gesta junioris, testimonio inmitantur, nec aliunde firmari queant. Sufficiunt vel hæc sola, ut eidem anonymo Dononiensi, si per monasticam vitam, quam prius a S. Ragenfrede actam scribit, non univèrsim, uti videtur, religiosæ vitæ quamlibet normam, seu qualemcumque cœnobiale, sed solam Benedictinam intellexisse, aliunde ostendi posset, non certam tamen habendam esse fidem, evincant; cum eum in referendis rebus, seculo VIII gestis, minime fuisse accuratum, veterisque historiæ adjuncta ad usum sui temporis non sine veritatis dispendio accommodasse, dici posse, ex assertis ejus jam discussis, satis superque pateat; quod et aliis etiam scriptoribus non coævis supparibus minime novum esse, periti norunt. Pergo eorundem scriptorum eisque partim consonam Breviariorum Cameracensis antiqui, et Dononiensis narrationem summatim referre, meas deinde in hanc subjecturus observationes.

Quæ de Sancta comitibus, tamquam partim in Palestina,

71 Igitur, uti ambo jam sæpe citati auctores totidem fere verbis referunt, S. Ragenfredis novemque ejus sociæ pervenientes Romam, olim tanti sanguinis ream, tunc autem tot Martyrum sanguine totius orbis reginam, Principis Apostolorum primo incessu petunt ecclesiam. Ibi pulchrum erat videre decem filias regum (vide potius dicta numm. 36 et 37) regem Christum requirere et regales puellas ante tumultum Piscatoris (S. Petri nempe) genua incurvare. Deinde lustratis per aliquot dies omnibus Romæ ecclesiis et sepulcris Sanctorum, majoris desiderii fervore acuerunt se ipsas ad divinum famulatum. Cumque fessis corporibus sese recepissent hospitio, post multos de sua peregrinatione sermones facta est inter eas divisio carnis, non spiritus; quinque enim ex eis non femineo, sed virili animo terram Dominicæ Passionis, seu Judæam petere statuerunt, Ragenfrede cum quatuor aliis Romæ remanente. Illæ ergo, ut proluxæ Historiæ Gallo-

Belgiæ auctor addit, Roma Brundisium proficiscuntur, hincque septem dierum spatio Plolemaidem (Gallice Saint Jean d'Acres) appellant. Mox, uti idem narrator, anonymusque Dononiensis perhibent, virgines illæ Palestinæ loca, Dominica habitatione vel Passione illustrata, (quæ longo ordine nominatim illi recensent) summa pietate in-visunt, ac tandem ad speluncam sepulcri Domini, quam primum visitarant, reversæ, Salvatoris jaculo vulneratæ, et una inclamantes: Invenit anima mea, quem querebam, tenebo eum et non dimittam, in pace quieverunt. Quatuor vero illæ, quæ cum S. Ragenfrede Sanctorum sepulcra Romæ repetere non cessarant, ad supernam Jerusalem etiam convolarunt, sola relicta superstitè Sancta nostra, quæ susceptæ peregrinationis Romanæ dux fuerat.

72 Ita fere verbotenus illi, speciosam potius fabulam, ut, vel me tacente, nemo non censerebit, quam veram læcentes historiam. Sane, et suscepta a quinque illis virginibus Hierosolymitana peregrinatio, et septem dierum spatio confectum Brundisium in Palestinam iter, et earum omnium ad speluncam sepulcri Domini obitus, et quatuor aliarum Romæ inter memorias Sanctorum uno tempore ad Superos transitus, hæc, inquam, aliæque ejusmodi ibi recensita gesta usque adeo singularia sunt, ut etiamsi (quæ tamen incerta est) pro indubitata admitti posset S. Ragenfredis cum novem virginibus Romana peregrinatio; nihilo tamen minus omnia illa aliæque ejusmodi adjuncta sine antiquioris testis auctoritate cordato homini incredibilia fierent. Quæ porro a S. Ragenfrede gesta deim esse, olim credita sunt, hæc ex eodem Gallo-Belgiæ Historiæ auctore citatisque Breviaris ediscere oportet; hæc enim Vita S. Ragenfredis partem laudatam numm. 3 et 4 Guisius aut suo Operi integram non inseruit, aut saltem in nostris Guisiani Operis Latini fragmentis non inveni. At parca est hujus ad anonymo Dononiensi adornatæ narrationis iactura, eoque solum sine hæc memoranda censui, ut ne quis, dum in aliis nostri similibus fragmentis hæc verba reperiret: Sicut in Gestis visu ejus pleniter legitur, hinc forsitan suspicetur, hæc anonymi Dononiensis verba esse, quæ re ipsa Guisii sunt, vel ejus, qui Guisium partim descripsit. Ad rem veniamus.

73 Igitur si citatis jam nunc partim Breviariorum, partim Historiæ Gallo-Belgiæ scriptoris testimonio fides esse debeat, postquam novem illæ S. Ragenfredis sociæ piissime defunctæ essent, Beata... Ragenfredis (verba sunt Cameracensis Breviaris, anno 1497 editi,) ut ad patriam repedaret, celitus admonita, cum ad hoc se accingeret, prefecti filius cepit, (multa repromitens) ad ejus amplexus anhelare. Mox Sponsa Christi talia perhorrens intravit ecclesiam oratura: sed impudicus ille juvenis impatientis animi estuans ardore eum eam contingere vellet, inter temerarios complexus mentum Jæsus ita scapule sue adhesit, ut immani vexatus angustia sacre Virginis auxilium coactus sit implorare, reatus sui veniam suppliciter petens. Illa protinus illi compatiens exemplum se prebens patientie pro malis bona rependens celeri eum sanitati restituit. Consonat his Dononiensis Hymnus seu Sequentia ante primum Missæ Evangelium recitari solita, ita de Sancta nostra canens: Caput orbis petiit, dum oratu rediit, turba secum previa, en præfecti filius illi fertur obivus, ductus insolentia; cujus pulchritudinem miratur,

A et Virginem, et ignorantem talia, mulcet et alloquitur, fovet et amplectitur, nec tamen evincitur ejus sanctimonia. Aggreditur osculo semel, bis, ter sedulo; sed, vidente populo, fiunt mirabilia. Mentum hæret scapulae, Christi vero Famulae subvenit clementia. At, cum nec præfectorum illius Romani, nec ejus filii nomen, nec tempus, quo hæc contigissent, nec antiquus, ac ne quidem suppar scriptor, qui hæc tradat, nec aliud quidquam, quod et ceteris assertis fidem facere natum sit, in medium producat; tam illud a Romano juvene publice in ecclesia patrum facinus, utpote a vero etiam aliunde alienum, quam subsecutum duplex prodigium, nihilo magis, quam, quæ jam nunc ante discussa sunt, miracula, credi hactenus debent.

74 Nunc, quoniam hæc unice indagandæ veritatis gratia recensuimus, reliqua quoque, quæ vel a præfatis auctoribus vel in citatis Breviariorum Lectionibus de Sancta nostra referuntur, audire non tædeat. Ita citati Breviarii Cameraensis Lectio VII pergit: Ut autem inclita virgo Ragenfredis se progenitoribus orbatam agnovit

B (Dononiensis Lectio IV, die X Octobris recitari solita, Aldeberti patris ejus obitum duntaxat commemorat) ad præfatum cenobium in Dononio remeans, cum ingenti gaudio ab omnibus suscipitur. Quibus itineris sui narravit ordinem ad imitationem virtutis, ductum semper ad cælestia pandens. Erat enim vultu placida, suis visis alloquio; et, quam Dei bonitas omni genere sanctitatis condierat, ab omnibus amabatur. Si seculi XI anonymum hic rursus loquentem et cum eo proluxæ Historiæ auctorem audiamus, S. Ragenfredis, cum in suo ex urbe Roma ad Dononiense cenobium reditu celebriores visitasset iterum ecclesias, repentino suo adventu viduam matrem, S. Reginam, Dononii degentem, mirifice consolata est, ac post breve tempus in ea consolatione feliciter ad Dominum migrantem vidit, eique (vide potius dicta numm. 42 et 43) in Dononiensis cenobii regimen successit. Tandem et ipsa S. Ragenfredis, postquam, ut Cameraensis citati Breviarii Lectiones tradunt, eleemosynas indigentibus erogasset, miseris in necessitatibus succurrisset, cetera pietatis opera exsecuta esset, cunctisque pene languidissimis salutis opem suis precibus contulisset, omni virtutum genere adornata, piissime defuncta est. Denique narrante Historiæ proluxæ auctore, eadem nocte, qua Sancta nostra obiit, oblata fuit reginæ Bertæ celestis visio, qua S. Ragenfredis animam ab angelis in cælum deferri conspexit, ac mox duo orbis lumina extincta esse inclamavit, hoc se solum consolans, quod Sanctam nostram ejusque præmortuam matrem S. Reginam apud Deum patronas esset habitura.

C 75 Narrationi huic meas, ut ante feci, observationes subdo. Quod attinet ad S. Ragenfredis ex Urbe in patriam reditum præviamque huic divinam inspirationem; hæc, etsi fortassis non falso asserta sint, majorem tamen fidem auctoritatemque non habent, quam ipsa ejusdem Sanctæ ex Dononiensi loco ad urbem Romam instituta aliquando peregrinatio, de qua numm. 67 et seqq. actum fuit. Nec est quidem a vero indubie alienum, eo ipso tempore, quo Sancta nostra versari Romæ potuit (re ipsa enim illic versatam esse, non satis constat) eo ipso, inquam, tempore Dononii obiisse B. Aldebertum patrem ejus, eamque dein Roma reducem ingenti omnium gaudio maximaque suæ matris lætitiâ fuisse exceptam, ac

postmodum morienti S. Reginæ adstitisse; verum rursus hæc omnia, deficiente auctoris sat antiqui testimonio, asseverare ego non ausim, nedum me eadem præstare miraculorum, quæ S. Ragenfredis precibus in favorem languidorum patrata fuerint; quamquam tamen negari nequeat, eam, quæ plurimis certe virtutibus inclavit, multa suis precibus beneficia miseris impetrasse.

76 Ipse denique emortualis Sanctæ nostræ dies annusque item in incerto est; nec tam ex sat antiquis probatisque monumentis, quæ jam nota sint, quam ex constanti aliquot seculorum opinione fivoque ab immemorabili tempore primarij ejus cultus die conjici datur, eam die VIII Octobris ad Superos emigrasse. Hunc confidenter Philippus Brasseur, nescio tamen quam veteri auctore edoctus, in suo Hannoniæ Calendario Metrico pag. 141 ad diem VIII Octobris his versibus expressit: Transit ad cælos hodie clarissima Virgo, et patri et matri contumulata suis. Annum tamen emortualem hic auctor, quod alias facere assolet, hic non adscripsit, haud dubie, quod nullum sibi, unde eum erueret, monumentum suppeteret. Nec vero sat tuto is statui ex Historiæ proluxæ narratione potest. Nam præterquam quod ob solam hujus auctoris assertionem haberi pro certa non debeat oblata Bertæ visio, qua Sanctæ nostræ defunctæ animam in cælos deferri viderit; dato etiam, hanc vere contigisse, nondum ex ejus verbis emortuale S. Ragenfredis tempus definiri indubie posset.

77 Etenim, quamquam Berta seu Bertrada, Pippini Regis uxor, post diem XII Julii anni 783 in vivis non fuerit, uti ex Annalibus Francorum Petavianis apud Bouquetum tom. 5, pag. 15, Tilianis ibidem pag. 20 aliisque illic editis liquet, atque adeo tametsi hinc consequens fieret, ut S. Ragenfredis ante eundem anni 783 diem defuncta fuerit; tamen, cum idem proluxæ Historiæ auctor S. Aldebertum tempore Caroli Magni anno 780 adhuc floruisse, asserat, longæque majus, quam biennii aut triennii spatium, inter B. Aldeberti obitum interque S. Ragenfredis post felix regimen ad Superos transitum intercessisse, insinuet; dubitandi ansam præbet, an Caroli Magni filiam, ac Ludovici Pii imperatoris sororem, nomine iidem Bertam et Pippini regis neptem, quæ anno 824 (adi Bouqueti tom. 6, pag. 661) in vivis adhuc fuit, designare non voluerit, eamque cum antiquiore Berta confuderit, pari errore, quo duos Pippinos confudit, et juniori attribuit, quæ a seniore patrata fuerant.

78 Quocumque modo hæc se habeant, malim ego, ne alias aut nimis breve, aut ex adverso nimis diuturnum regiminis Abbatisse nostræ spatium adstruatur, sub annum Christi 705 defunctam credere; donec melioris notæ monumenta in lucem prodeant, ex quibus emortualis ejus annus, ceteraque huc spectantia definiri tutius queant. Atque hæc quidem omnia singillatim discutere visum est, tum ut pateat, ex adscriptis passim S. Ragenfredi gestis vix ullum esse, si Dononiensis parthenonis erectionem ejusque adjuncta, ac Sanctis omnibus communes virtutes excipias, quod pro explorato habendum sit; tum etiam, ut, si qui melioris notæ Acta alicubi latere norint, eas in lucem extrahendi desiderium ipsis accendam; iis dein, ubi locus erit, pro veritatis elucidandæ, Sanctosque Belgii illustrandi amore diligenter gratoque animo usurus.

§ VI.

AUCTORE  
J. G.et tempus  
ejus emor-  
tuale, quod  
ex antiquis,aut ex obla-  
ta, ut fertur,  
Bertæ visione  
exacte statui  
nequit,

F

utrumque  
prope ex veri-  
similiore con-  
jectura assi-  
gnatur.

AUCTORE  
I. G.

§ VI. Sanctæ corpus e terra levatum occasione patrati miraculi. Diploma pro instauratione cœnobii Dononiensis concessum : cœnobii per Normannos vastatio.

Sanctæ corpus, in ecclesia Dononiensi S. Martini sepultum.

**D**efunctæ Abbatisse nostræ corpus non in ipsa parthenoni connexa ecclesia, Dei Genitrici sacra, sed in vicina huic S. Martini æde mandatum terræ fuisse, testari vel solus posset antiquissimus, quem meis oculis vidi, lapideus, qui S. Ragenfredis dici solet, tumulus, ante presbyterium predictæ Martinianæ ecclesiæ erectus, si modo superstes etiam esset ipsa sepulchralis inscriptio, quæ ex more antiquo haud dubie in eo tumulo expressa fuit. Hunc tamen defectum utcumque saltem suppleant Dononienses de elevatione corporis Lectiones, majori, quam quæ § præcedenti discussæ sunt, fide dignæ, quæ Sanctam in prædicta S. Martini ecclesia sepultam fuisse, disertè affirmant, quibus et antiqua admodum traditio scriptorumque communis consensus suffragatur, non mediocriter utique veritatis indicium præbentes, aut saltem tale, quod absque solidis in contrarium rationibus rejiciendum non sit. Ast, quot præcise annis in San-martiniana illa ecclesia S. Ragenfredis corpus sepultum manserit, idcirco definiri exacte nequit, quod uti num. 98 vidimus, emortualis ejus annus in comperto non sit, nec item tempus, quod ad sepulcrum ejus B. Ava, jam mox memoranda, visum receperit, in Lectionibus illis, aliis, quæ quidem novi, alicujus notæ documentis expressum inveniatur.

probabiliter non serius quam anno 850 de terra levatum

**B** 80 Nihilominus tamen hæc mihi sedet sententia, saltem non diutius, quam mediæ sæculi spatio, Sanctæ nostræ corpus in San-martiniana æde sepultum jacuisse, ac vel ante annum 850 in decentem aliquam lipsantheam e terra fuisse translatum, quæ lipsanthea deinde in Deiparæ ecclesia, uti infra narrabitur, ampliata, honorifice collocata fuerit. Ac primo quidem testis est anonymus Dononiensis, multo hic, quam in referendis Sanctæ gestis, accuratior propiorque rei gestæ, meliorem Dononiensium thesaurum, corpora Sanctorum, ac præcipuè Reginæ, Ragenfredis et Aldeberti, suis nempe singula, ut res exigebat, inclusa feretris, ad tutiora loca deportata fuisse, gratia evadendi Normannorum manus. Id autem non videtur post medium sæculum IX a Dononiensibus factum posse dici, cum ipso anno Domini 850, uti ex tomo 2 Martii pag. 459, num. 9, et huic respondente Henschenii annotatione pag. 460 liquet, Normanni in oppido Gandavi venientes (cerba sunt scriptoris de Gestis Normann. ante Rollonem) S. Bavonis monasterium incenderint; deinde Rotunum seu Rotnacum, ac paulo post ad Hamaticensem et Marchianensem abbatias, tribus dumtaxat leucis a Dononiensi silas, pervenerint: atque adeo via dubitari potest, quin Dononienses vicinorum exemplo suum etiam meliorem thesaurum, seu sacra ecclesiæ suæ corpora, ad tutiora loca, ne forte alias barbarorum præda aut ludibrium fierent, saltem non serius, quam inveniente anno 850, imo et annis aliquot ante deportari curave-

rint, mox, ut rumor de barbarorum imminente D incursione per Belgium spargi cœpit.

**B** 81 Quin imo nescio, an non sub Halitgario, Cameracensi simul et Atrebatensi episcopo, qui, uti tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 10 et seq. ostenditur, ab anno 817 circiter usque ad annum 831 aliorum in suis diocesis Sanctorum e veteri tumulo elevationem permisit, vel ipsemet perfecit, S. Ragenfredis corpus e suo tumulo elevatum fuerit; aut an id saltem sub Theodorico episcopo post annum 831 non contigerit, prius tamen, quam hodierni comitatus Hannoniæ partes a Normannis quidquam timendum haberent. Utul hæc se habuerint; equidem, cum B. Ava, ab homonyma virgine, quam Sanctæ nostræ sororem quidam perperam faciunt, diversa, Dononiensem S. Mariæ ecclesiam ampliari et multiplici apparatus decore meliorari fecerit, antequam in illam S. Ragenfredis, Sospitricis suæ, sacrum corpus transferretur, ipsaque in hujus parthenone sacrum habitum susciperet, prout partim Actorum B. Avæ compendium, infra laudandum, partim Dononienses de Elevatione corporis Lectiones, nemine contradicente, affirmant; consecrarium pariter videtur, ut hæc pacatiore illo tempore facta sint, quod Normannorum crebras in Belgium eruptiones præcessit, ac proin saltem ante annum 845. Etenim, uti ex Malbranquio tom. 2 de Morinis pag. 253 et seq. ad annum 845 et annum 846 ostenditur, tantum abest, ut cœnobitæ aut sanctimoniales Belgii, præsertim in locis non munitis degentes, ærummosa furentium Normannorum tempestate de extruendis ornandisque splendide sacris ædibus cogitent, in eise magno apparatu elevare vellent Sanctorum suorum lipsantheas; ut contra has ipsas sacras exuvias templorumque pretiosam suppellectilem terræ visceribus sollicitè abderent, si quando ad tutiora loca eas deferendi opportuna deesset occasio.

**B** 82 Non igitur a vero longe me absuturum arbitror, si corporis S. Ragenfredis de terra levationis translationisque primæ epocham sub præfato episcopo Halitgario, vel sub ejus successore Theodorico, seu intra annum 817 et annum circiter 840 collocandam dicero. Ipsam modo elevandi sacri corporis occasionem ceteraque translationis adjuncta, ex laudatis num. 7 Dononiensis Breviarii Lectionibus, ad diem 2 Septembris legi solitis, fideque, ut diximus, non indignis, modo audiamus. Ita habet Lectio nocturni secundi prima: Corporis sanctæ Ragenfredis elevationem, quæ hodierna die (2 Septembris) facta est, insigni miraculo Deus honoravit in eo, quod cæcitatibus illuminatione tumulum ipsius clarificavit. Erat virgo quædam, nomine Ava, genere nobilis, fide venerabilis, prædiorum abundantia et multarum opum affluentia spectabilis: sed nescitur, quo occulto Dei judicio, vel ad declarandum Sanctæ Ragenfredis meritum, ut videri potest, vel alia ex causa visu subtracto, multo tempore cæcitatibus incommodo laboravit. Hæc largitione eleemosynarum et ad loca multorum Sanctorum donatione opum suarum non modica, cum fide fervente amissi luminis remedia circumquaque requirebat; sed occulta Dei dispositione, quod quaerebat, minime consecuta est.

**B** 83 Porro nocte quadam (ita pergit sequens Lectio) cum sopori se, necessitate cogente, tradidisset, adstitit ei Angelus Dei, et hujusmodi verbis eam adhortatus est: si vis veniam peccatorum

A peccatorum tuorum a Deo consequi, et lumen oculorum recipere, sine dilatione sepulcrum sanctæ Ragenfredis et locum reliquiarum ejus non negligas expetere, in quarum inventionem lumen amissum recipies. Recepta luminis claritate, quidquid vales, instanter et intente non disse- ras elaborare. Quæ mox eadem nocte consurgens, tam pro angeli exhortatione, quam luminis recuperandi desiderio, assumptis sibi obsequentibus, statim ut sanctas reliquias beatæ Ragenfredis in ecclesia S. Martini invenit, ita luminis visu recepto sanitati restituta est, ut deinceps clare videret omnia. *Denique ejusdem Nocturni Lectio tertia ita habet:* Hujus accepti beneficii gratia prædia sua, servos et ancillas, et omnem sui juris suppellectilem ad sepulcrum sanctæ Ragenfredis attribuens, Dononii ecclesiam sanctæ Mariæ virginis ampliari et multiplicis apparatus decore meliorari fecit. Beatas quoque reliquias ejusdem Ragenfredis in prædictam ecclesiam transferri curavit, et ibidem Deo devota, assumpto velaminis sacri indumento, usque ad finem vitæ Deo militavit, et locum sepulcri in ecclesia sancti Martini cum Sanctis ibidem tumulatis promeruit.

84 *Hactenus citati Breviarii Lectiones, quibus omnino consonat, quod in Natalibus Sanctorum Belgii anno 1595 fol. 79 editum fuit, Dononiensium, nescio tamen, quam veterum, monumentorum Compendium, a Papebrochio nostro ad diem XXIX Aprilis pag. 625 minime improbatum, aliudque idem, quod Philippus Brasseur supra citatus in suo Calendario et Panegyrico Sanctorum Hannoniæ pagg. 136 et 52 contexit. Hoc postremum, utpote quod præfatas Lectiones utcumque illustrat, nec alibi etiam in nostro opere invenitur, præ eo, quod ex jam laudatis Natalibus Sanctorum a Papebrochio in suo de B. Ava Commentariolo recitum fuit, hoc loco recitare visum est. Ita igitur citatus Brasseur in suo Calendario metrico Hannoniæ ad diem 2 Septembris memoratam Sanctæ nostræ translationem paucis celebrat.*

Ecce Ragenfredis venerabile corpus ab urna Transfertur; meritum Virginis Ava probat.

In suo autem Panegyrico pag. 52 translationem illam ita elucidat:

C Ut finem faciam, subtexo notabile signum, Ad declarandos sanctæ Ragenfredis honores:  
Cujus ut ipse potens meritum dignoscere possis,  
Ipsius ad tumulum sanctam tibi sistimus Avam,  
Quæ, dum cæca foret, quæsit ubique salutem,  
Nec tamen invenit, donec monumenta sepultæ,  
Virginis angelico monitu præfulta subivit,  
Et visum per vota habuit: quo rite recepto,  
Quidquid habebat opum, Medicæ donavit ad urnam:  
Sic per opes invenit opem, per vota salutem.

85 *At concessis a B. Ava, in suæ Medicæ honorem prædiis bonisque haud diu Dononiensibus sanctimonialibus pacifice frui licuit, ac ne iis quidem, quæ ipsa sancta Fundatrix divino cultui consecravit. Cum enim, uti Thomassinus re-*

*cte advertit, inter Ludovici Pii filios ea exorta essent bella, quibus ecclesiæ in easdem rursus, unde necdum plene emergerat, calamitates demergebatur, cœpissetque Carolus Calvus sub annum 843 laicis sibi addictis commendare etiam sanctimonialium abbatias, non modica, ut habitum ad Theodonis-villam concilium loquitur, Dei ac Sanctorum ad irascendum provocatione; ac demum cum malo huic aliæ accessissent graviores ex frequentibus Normannorum incursionibus ortæ calamitates; factum est, ut Sanctorum Dononiensium corpora ad tutiora loca deferenda fuerint, utque deinde Dononiensis abbatia non levia, imo indies graviora, detrimenta caperet, sic ut ipsum Dononium et prædia saltem præcipua sanctimonialium dominio subtracta fuerint, dum reliqua fortassis Normannorum incendiis vastata etiamnum jacerent. Huic igitur et diuturno et gravi malo retundendo efficacius remedium non invenerunt Dononienses tum sorores tum fratres, infra in diplomate etiam memorandi, quam ut ad Gislam, Caroli Calvi sororem, et ad ejusdem regis nepotem Rodulphum (Richardum enim Burgundiæ ducis, qui Richildis, uxoris Caroli Calvi, frater erat, hic filius fuit) supplices confugerent, eorumque patrocinio illata suæ abbatie damna resarciri, hancque ad pristinum statum reduci, atque rege impetrarent.*

86 Annuit anno 877 æquis Dononiensium votis bonus imperator; cumque jam sat multa alia Sanctorum loca construxisset, aut lapsa instaurasset, Dononiensem etiam abbatiam ad pristinum statum revocare decrevit, edito in hunc finem, cum Vesontione Italiam petiturus Pontiliacum advenisset, (adi dicta a num. 25) supra memorato diplomate, quod hic, utpote ad S. Ragenfredis gloriam posthumam conditumque ab ea parthenonem quam proxime spectans, ex apographo laudati Domini Tordreau et ex Miræi diplomatibus Belgicis lib. 2 cap. 12 integrum exhibeo, additis, quæ apud hos atque apud Script. Rer. Gall. tom. 8 pag. 673 ex parte desunt, subscriptionibus, quales in ipso autographo expressas fuisse, partim ex uno alterove nostris apographis Mss; partim ex disputatis § 2 mihi persuasum habeo. Ita illud habet: In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Carolus misericordia Dei imperator Augustus. Omnibus Christicolis pax et salus. Pro timore et amore Dei multa loca Sanctorum, Deo propitiante, alia nova construximus, alia lapsa restauravimus.

87 Quapropter sciat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, tam presentium, quam et futurorum industria, quoniam per carrissimæ sororis nostræ, GISLÆ scilicet nomine, crebram admonitionem ac per dilecti nepotis nostri supplicem postulationem, quin insuper et pro animæ nostræ perpetua salute, abbatiam sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, nec non venerandæ virginis S. Ragenfredis, quam ex suis propriis prædiis ac vernaculis ipsa vivens construxit, sitam super Scaldis fluvii ripam in prædio, quod nuncupatur DONONIUM, ad pristinum certamus restituere statum. Decrevimus igitur Dei timoris causa necnon et per deprecationem jamdictorum has res reddere et confirmare per nostram magnificentiam, ad utilitatem fratrum sororumque inibi Deo militantium, ut perpetualliter possideant, quæ inferius scripta habentur.

88 Reddimus itaque cum nostra omni confirmatione fratribus et sororibus memorati cœnobii,

LECTOR  
J. G.

multa detri-  
menta pas-  
sam, Carolus  
Calvus

ad pristinum  
statum, con-  
cesso diplo-  
mate.

AUCTORE  
J. G.  
quod hic in-  
tegrum re-  
citatur.

nobii, ipsum videlicet Dononium cum omni integritate, mansis scilicet LIII cum molendinis et campis et pratis valde uberrimis, et in pago Hainoginense villam, quæ dicitur HALCIM, cum omni similiter integritate, mansos videlicet XXIV cum molendinis et pratis etiamque cum omnibus familiis inibi degentibus. In eodem quoque pago villam, quæ dicitur THEONIS, cum omni integritate, mansos videlicet XXXIV, in villa vero, quæ dicitur SALCEM, ejusdem pagi mansos XVI cum silva, quæ vocatur AMBLIGIA; in præfato quoque pago in villa, GALDECIAS nuncupata, mansos VII nec non et terram arabilem. Quin insuper statuendo sancimus omnimodam decimam tam de villis indomiticatis, quam de beneficiis, ex omni abbata ad usus fratrum et sororum æternaliter largiendam. Ipsius vero loci senior, quidquid ad opus ecclesiarum vel ædificiorum præfati cœnobii necessarium fuerit, ante omnia et super omnia secundum Dei amorem provideat ac providendo largiter suppleat.

B  
et ex nostris  
ecephis  
suppletur,  
reducere  
conatus est.

89 Et ut æternaliter conserventur inviolabiliter, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione insigniri jussimus. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVII. Idibus Augusti, Indictione X, anno XXXVIII regni Karoli regis in Francia, et Imperii ejus II. Signum Karoli gloriosissimi imperatoris. S. Notberti. S. Gerlonis. S. Wilhelmi. S. Rodulphi ejus nepotis. S. Bernardi. [Audaer] notarius [ad vicem Gauzlini] subscripti [Pontiliaco] palatio regali. Amen. Hactenus illud diploma in laudatis num. 86 apographis, si excipias uncinis inclusas voces, quas, ut monui, ex Musei nostri ecephis supplendas aut aliunde mutandas duxi. Nunc præter ea, quæ de hoc diplomate § 2 disputata sunt, nonnulla ejus elucidandi gratia subiungere juberit. Igitur, qui in illo memorantur mansi in pago Hainoginense, sunt certæ agri portiones in provincia, quæ nunc comitatus Hannoniæ dicitur, sitæ, quæ et colerentur, et in quibus coloni cedes essent; per villas autem intelligi hic debent pagi, quos sequiori dein tempore villagia seu vilagia vocatos legimus.

C  
restituit ei  
tariis villis,  
quarum si-  
tus exponi-  
tur;

90 Talis porro villa, seu pagus, seculo IX fuit Halcim, quo nomine ego non pagum Haulchin seu Haussy ad Sellam annem situm, sed Haulchin seu Hauchin ad Scaldim infra Dononium, designatum censeo; talis quoque fuit villa, quæ dicitur Theonis, quæ quidem non Tun seu Thun ad Scaldim versus Cameracum, ut Miræus conjicit, sed Thonville, quod modo dumtaxat prædium est, haud procul a Dononiensi ponte distans, omnino esse mihi videtur; talis denique eo seculo fuerunt villa Saleem et villa Galdecias; quarum prior sitne pagus Saultain, viæ Bavacum Valencis ducenti adjacens; altera vero an pagus, qui Villers-cauchie dicitur et viæ Cameraco Bavacum ducenti adjacet, edicere pro certo non ausim. Explorator est memorata illic Silva Ambligia, utpote quæ hodieque Bois d'Amblise vocatur, et uti videre est in Maraldi et Cassini geometricis seu triangularibus Gallie mappis, viam regiam attingit, qua Valencis ad Hamoniæ metropolim itur.

at illud di-  
ploma, ex  
quo nonnul-  
la ad Sancti  
cœnobium  
spectantia  
hic eruntur.

91 Ceterum docet nos hoc Caroli Calvi diploma, Dononiense cœnobium, quod, vivente Abbatisa nostra, Sanctissimæ Dei Genitricis abbata vocabatur, eodem, quo sancta ejus Fundatrix defuncta est, seculo dici etiam ab ejus nomine ce-

uisse abbatiam venerandæ virginis S. Ragenfre-  
dis: cujus quidem mutati nominis eordium, quandoquidem in illo diplomate recens fuisse non dicitur, verisimiliter ad sacri corporis ejus translata epocham supra expositam referendum est. Adhæc ex eodem diplomate pro certo habemus, quod et supra innui, Dononiense cœnobium tum temporis duplex fuisse, nimirum tum fratrum tum sororum inibi Deo militantium, quorum tamen ædificia suis muris et claustris prorsus distincta erant; de quibus videat curiosus lector Mabilonii Præfationem ad Sæculum Benedictinum secundum pag. XXIV. Num autem tam hæc quam illi, uti Mabilonius cit, loco universim de hujusmodi in Belgio cœnobiis contendit, Ordinis S. Benedicti alumni fuerint, § IV discussum a me fuit, quem, si lubet, consulat lector. Nunc in viam, unde non nihil digressi sumus, revertamur.

92 Erat diploma illud a Carolo Calvo, imperatore et Francorum rege, Idibus Augusti anno 877 concessum, Dononiensibus adeo favorabile, ut, sola hujus habita ratione, sperare non immerito possent, fore, ut multo lætior deinceps, quam a 40 circiter annis fuerat, duplicis sui cœnobii esset facies, utque supremi Numinis cultus ecclesiasticæque Fundatricis suæ, imo et parentum ejus veneratio magis magisque increceret, ac vel idcirco etiam, quod jam ab annis aliquot barbari Normannorum gens Ostroædiciæ rursus imminere visa non esset. At donam expectationem minuire primum cepit ejusdem Caroli Calvi, Pontiliaco in Italiam exiitum tantum tempore advecti, inexpectatus mense Octobri obitus, omnemque demum melioris sortis spem sustulit, quæ ex Ludovici Balbi, Francorum regis brevi post, seu anno 879 mense Aprilis subsecuta intempesta morte exorta est, miserabilis et excidiosa inter Francos... dissensio, quam Annales Vedastini tom. 8 Scriptorum Rerum Gallicarum pag. 80 memorant. Etenim, uti Annales isti verbotenus fere subdunt, Normanni, ultra mare positi, Francorum discordiam audientes, navali evectioe cum infinita multitudine rursus mari transito, Teruannam, urbem Morinorum, medio mense Julio anni 879 igne et gladio restaverunt, nemine sibi resistente, eoque rerum successu animati, postquam Menapiorum ac Brabantiorum terras igne et gladio vastassent ac monasterium Gandense sibi ad hæmandum statuissent, mox, ut per anni tempestatem licuit, Tornacum civitatem et omnia monasteria supra Scaldim, atque adeo et Dononiense, Scaldi adjacens, et viæ septem milliariibus Tornaco distans, ferro et igne depopulati sunt, interceptis, qui fuga dilapsi non fuerant, aut captivatis accolis terræ. Ita fere de verbo ad verbum, ut jam monui, Annales Vedastini, magna omnino hic fide digni.

93 Provide quidem atque opportune, teste eorundem Annalium auctore, tam intra Scaldim et Somonam fluvios, quam trans Scaldim deperites monachi, cononici et sanctimoniales, priusquam eo rursus pervenirent Normanni, cum corporibus Sanctorum fugam inierant, ac fortassis vel ab anno 845 melior Dononiensium thesaurus in Duacensi castro, quod ex citatis a Malbrangio lib. 6 de Morinis pag. 304 auctoribus pro certo sanctorum corporum vicinorumque hominum asylo tunc erat, securo loco repositus manserat: verum, tametsi qui Dononio ad Duacense castrum confugerant, omnia in hoc contra Normannos tu-

A *la experte essent, et suis sacris pignoribus, in quibus, teste anonymo, Dononiensis loci aliquando recuperandi spem posuerant, nihil quidquam sinistri aliunde experti essent; non tamen paulo post, quam illatæ cladis auctores Normanni exacti e Belgica fuerunt, revocari ad pristinum splendorem potuit abbatia Dononiensis; imo vero id non prius, quam post unius fere seculi decursum, ut infra dicemus, utcumque executioni mandatum fuisse, Baldericus supra citatus lib. 2 Chronici Camerac. cap. 28 testatum facit.*

Dononiensis abbatia, a Normannis nempe, funditus destructa fuit.

94 *Sed priusquam eo deveniamus, haud grave, arbitror, feret lector, si anonymum Dononiensem illatam hanc a Normannis Dononiensi parthenoni ruinam suis verbis narrantem audierit Ita ipse Legendæ suæ cap. 6: Qui littora Scaldi insederant (Normanni) debaccabantur plurimum, quia illis eos fecerat esse continuos locorum opportunitas et gratissima statio navium, sive ad hyemandum sive ad quodlibet suscepti belli periculum declinandum. Qua tempestate devastata ecclesia Dononiensis, perit ille maximus labor, sed non merces Sanctæ Reginæ et sancti Aldeberti (imo nec S. Reginæ, nec B. Aldeberti, sed S. Ragenfredis, cuius opus, ut supra §*

B *III ostendimus, erat.) Disperguntur moniales et aufugiunt clerici (ad Duacenum castrum, ut censeo, in quo forte cum non paucis sanctimonialibus clericisque Sanctorum reliquiæ ab anno circiter 845 remanserant) Exterminantur omnia, desolatur illa grandis ædificatio et diripiuntur ornamenta; nihil residuum fit igni præter meliorem tne-saurum, corpora Sanctorum scilicet, quæ ad tutiora loca deportata fuerant (puta ab anno circiter 845) gratia evadendi, unica videlicet spes loci quandoque recuperandi. Similiter et cetera ecclesiæ ipsius prædia, quæ longe et prope circa Scaldum erant profusiora, hac tempestate exhausta et exinanita sunt. Hactenus anonymus, ex quo præcipue reliqua, quæ ad erecti a S. Ragenfrede parthenonis ejusdemque Sanctæ Reliquiarum historiam faciunt, jam nunc sequenti § recensere pergo.*

§ VII. Sanctæ corpus ad Novumcastrum in Gallia delatum divenditumque: instauratio Dononiensis abbatia variaque ejus adjuncta.

C *L* *Audatus auctor, postquam ipsis fere Fulciani verbis (quæ tom. 6 Spicilegii Acherii pag. 560 primæ editionis habes) exposuisset, quo pacto, post Dononiensis ecclesiæ aliarumque complexurum ruinam, Normanni per Franconem, episcopum Leodiensem, et Reginerium Longicollum, Hannoniæ comitem, multoties victi fuerint, quove modo reddita ecclesiæ Belgicæ pax sit, nov hæc ad rem nostram spectantia subjicit: Respirat paululum (Godefridi, Normannorum regis, anno 885 occisi, nece) languidus ignis ecclesiarum; sed tanta pressura, tam grandis jactura rerum, licet affectiva, tamen effectiva non poterat instantia statum priorem recuperare (eum præsertim, quo Dononiensis parthenon ante annum 849 floruerat.) Fit tamen dispersorum collectio, dejectorum erectio, sanctarum Reliquiarum Tomus IV.*

quarum a tutioribus locis revocatio, et quæcumque diutius immorata sit desolatio, subita permutatione repentina videtur consolatio, utque major vel minor fuerat rerum dilapidatio, festinatur vel tradatur redintegratio. Dononium vero penitus eversum, dum ea, quæ sibi prius erant utiliati et honestati, tempore persecutionis vertuntur in ruinam et opprobrium, vicinitas scilicet Scaldi et congrua obsidionis\* ampla et amœna statio pratorum; majus requirebat spatium, consilium et auxilium, quo pristinae integritatis valeretur reparare gradum.

AUCTOR J. G.

\* i. e. commorationi

96 Quapropter ibi cœnobialem vitam ea vice reformari non ferebat illa magna magnorum prædiorum devastatio: sed pro tempore ad Dei famulatum non penitus emittendum, REPONITUR tantummodo clericorum institutio, quatinus eorum provisione et acquisitione fieret quandoque monialium restitutum. *Igitur, teste anonymo, cui forte quidam antiquior scriptor, vel certe probata traditio hic præluvit, immensa, quam Normanni Dononiensi ecclesiæ ejusque bonis intulerant, clades impedimento fuit, quo minus dispersi ejus incolæ ac Duacensi in castro verisimiliter latitantes post barbarorum discessum in pristinas sedes revocarentur et antiquo more tam clericorum, quam sanctimonialium, canonicæ vitæ (de qua vide dicta § IV) sequerentur institutum. Id ipsum etiam non obscure indicat Baldericus cit. lib. 2 cap. 28, dum abbatiam Dononiensem, incumbente inopia inclinatam, non a monachis Benedictinis, sed a paucis canonicis inhabitatam fuisse, scribit.*

sanctimonialium loco incolentes quidam clerici,

97 *Quid porro ab hisce clericis seu canonicis Dononiensi loco sanctæque Ragenfredis Reliquiis factum sit, citatus anonymus his verbis aperit: Qui tandem (pauci nempe illi clerici seu canonici) necessitate, non rectorum sponte (seu non ultronea superiorum electione) regimen adepti, laborant et instant in reparatione loci, sub obtentu quidem quæstus (seu utilitatis) ecclesiæ; sed, ut postea patuit, pro emolumento sui. Denique copiis (Dononiensis nempe parthenonis) tandiu vastatis, minus cito, quam volebant, sibi succurrentibus, inito consilio, aliud solatium requirunt suis necessitatibus. Placet eis, ex se ipsis quatuor eligere, per quos corpus sanctæ Ragenfredis statuunt efferre elatum versus eam Franciæ partem, quæ præfatam pestem (Normannorum) evaserat, si forte, donante Deo, exinde possent consolationem usibus suis referre.*

ejusque regimen adepti,

98 *Exeunt itaque circumquaque lustrantes, et, non quantum volunt, sed, quantum sibi datur, ab undique colligentes, mendicando perveniunt ad Novum-Castrum super fluvium Ysam, per quem prædicti ascendentes Normanni minime læserant regionem, declinantes incursus oppidanorum; ubi gratia S. Ragenfredis honorifice suscepti (iidem nempe clerici seu canonici) et suscipientium affluentia admodum delectati per aliquot dies demorantur ibidem; ideo maxime, quia benevolam erga se sentiunt ejusdem castri comitem. Cui dum sæpius referunt beneficia sanctæ Virginis, paulatim immittunt ei concupiscentiam retinendi corporis, si forte ad hoc posset pertinere, ut eorum consensu valeat illud retinere. Quamobrem exhibet se eis omnimodis humanum, cogit eos verbis, ut accipiant, si quid foret necessarium, et sic inter eorum*

Sanctæ corpus circumquaque, ac tandem Novumcastrum deferunt,

actores  
J. G.

relationes temptat, si forte venderent ei quantulumque partem reliquiarum. Et quia egestas non habet fidem, in modico persuadet eis cupiditas, nec declinant foveam avaritiae, dum largitatis suae frena laxat eis, in accipiendo praemio pro eorum optione.

idque domi-  
no loci, uti,  
anonymus  
refert,

\* an pre-  
datores ?  
\* an Dono-  
nio ?

99 Fit pactio et deliberatio pecuniae, centum librae videlicet denariorum et bis quinque, et in eodem loco una praebenda unicuique. Ita admissio lucra auri et amissio lucra innocentiae, exonerato thesauro Sanctae Virginis, sed onerati thesauro pecuniae, ne distractio pateret, vacuum referunt serinium iniqui delatores\* ecclesiae; quod restituentes domum\* in ecclesia sanctae Dei Genitricis (*utrumque jam a canonicis reparata,*) centum sibi retinent libras, quas possederant de mercede iniquitatis. Cetera vero (*ex piorum elemosynis collecta*) prout sibi videtur, solita fraude dispertuntur fratribus et usibus ecclesiasticis. Latuit res acta diutius; succedunt tempora temporibus; successus accedunt decessibus, quia tempus miserendi venerat loci ipsius; deponuntur clerici et imponitur ordo monachorum, hisque brevi tempore substitutis et paulo post destitutis, restituitur congregatio monialium. Ita rursus anonymus citatus, in cujus verba observanda quaedam sunt.

sacrilege di-  
vendunt, ac  
capsam va-  
cuam Dono-  
nium refe-  
runt

100 Novum castrum super Ysam ab eodem memoratum, hodie oppidulum est regionis, quae Insula Franciae seu vulgo Isle de France vocatur, distatque Lugduno-Clavato quatuor leucis Gallicis majoribus Meridie versus, Dononio vero viginti circiter leucis. Oppidulo huic, ut refert D. Corneille in suo *Lexico Geographico* tom. 2, pag. 798, col. 2, Auxenna olim nomen fuit, et, teste Hadriano Valesio in sua *Notitia Galliarum* pag. 72, col. 2, ad Rotumnae et Axona (*vernacule Aisne vel Esne*) confluentes situm est; hodieque Neufchatel vernaculo sermone dicitur. Huc igitur quatuor illi, mercenarii potius vocandi, quam clerici, S. Ragenfredis corpus non tam sublebandae Dononiensis ecclesiae inopiae causa, quam proprii quaestus ergo defendendum primo conserunt, ac demum ejusdem castrum domino pretio infami vendidit, vacuum sacris pignorum thecam, at ne alioquin facinus suum proderent, bene clausam Dononium mox reportantes; quae quidem fraus nemini incredibilis videbitur, qui exeuntis seculi IX et X labentis corruptos quorundam in ejusmodi rebus mores, nimiamque aliorum simplicitatem noverit.

circa an-  
num, ut con-  
jici datur,  
955.

101 Quis porro ille Noci-Castrum comes fuerit, quove anno S. Ragenfredis corpus relictum in eodem castro sit, tacente anonymo, qui unus de hoc argumento scripsisse noscitur, quis pro certo statuat? Nec enim ad facti hujus epocham figendam multum facit, quod hujus loci domina, uti anonymus idem infra num. III scribit, Fredesendi, Dononiensis abbatis, forte anno 1035 asseruerit, Sanctae nostrae corpus ab antecessore suo centum et decem libris comparatum fuisse; cum nullo ex capite pateat, haec ejusdem dominae verba de proximo suo decessore intelligenda esse; ut contra ex anonymo nostro, sacrilegae huic venditioni tempora temporibus successisse, affirmante, credibilis fiat, deremoto aliquo ejus decessore sermonem hic fieri, qui ante centum fortassis pluresve annos castro potiebatur. Si hac in re, aliunde quoque obscura, locus sit conjecturae, putem, sacrilegas illas mundanas eodem fere tempore contigisse, id est, anno circiter 933, quo S. Gislensii corpus Ursi-

dongi-cellenses clerici revexere et revexere per patriam, ut per fidelium munificentiam mendicitatis suae experient inedia; uti verbotenus fere narratum est tom. 2 Octobris pag. 254, num. 135, et pag. 311, num. 43, ac rursus in Commentario ad Acta S. Gislensii suo loco dicitur.

102 Reliquum nunc est, ut de ejusdem anonymi verbis, ultimo loco num. 99 recitatis, nonnulla etiam dicamus; ac vel idcirco maxime, quod jam saepe laudate Balderici assertioni minime consentaneum esse videri queant. Hic quippe in suo *Chronico* lib. 2, cap. 28 paucis illis canonicis, qui, dilapsis Normannorum tempestate aut dein extinctis sanctimonialibus, S. Ragenfredis abbatiam incoluerunt, moniales regulariter institutas successisse, scribit; anonymus vero iisdem paucis canonicis seu clericis monachos prius fuisse suffectos, et his brevi tempore destitutis congregationem monialium restitutam, asserit. Verum enimvero, si aliud chronographi Cameracensis, aliud Dononiensis scriptoris anonymi institutum fuisse, perpendamus, nulla in re alterum alteri contradicere reperimus. Etenim, cum monachi, quos clericis suffectos anonymus narrat, fortassis vel sui episcopi vel principis auctoritate clericorum loco in Dononiense cenobium introducti non fuerint, aut certe brevi post tempore sanctimonialibus locum fecerint, hanc momenti unius monachorum substitutionem se tacitam in Gestis episcoporum Cameracensium, quae scribebat, praetermittere posse, jure merito Baldericus existimare potuit, utpote nullius aut certe levissimi momenti rem, et quam iis, ne alias prolixior esset, enarrandam lingere potuit, qui ex instituto suo singula, ad Dononiense cenobium spectantia, minutatim prosequerentur. Quam itaque rem Baldericus mere tacuit, nec tamen inficiatus est, hanc ipsam anonymus Dononiensis pro suo instituto commemorandam censuit, utpote quam et suis etiam oculis videre aut certissime ex oculatis testibus intelligere quivit.

103 Haud equidem dubito, quin idem anonymus paulo quoque enucleatius Dononiensis parthenonis instaurationem prosecutus fuisset, si aequae perspectas habuisset illius causas, ceteraque, quae inter Gerardum I Cameracensem simul et Atrabatensem episcopum, interque Balduinum, Flandrorum comitem, eadem de re tractata fuerant. At haec multo melius, quam anonymus Dononiensis, laudatus Baldericus novit, utpote qui eidem Gerardo I a secretis fuit. Hoc itaque teste, per Balduinum, Flandrorum nempe comitem, et Valentianensis juxta ac Dononiensis territorii dominum, consilio autem Gerardi I supra laudati antistitis, ac Leduini, Vedastini nimirum abbatis, moniales eaeque, ut infra ostendemus, Benedictinae, in parthenonem Dononiensem introductae fuerunt; atque ita, quae a sui exordio sanctimonialium praesertim abbatia fuerat, exactis jam viris, qui illam incumbente inopia tenebant, ad pristinum monialium statum reducta est, hoc solo tamen discrimine, quod eam, ut supra diximus, canonicarum sanctimonialium primam, demum vero Benedictinarum incoluerint.

104 Rem totam hocce fere modo contigisse arbitrator. Cum vere magnus ille piissimusque antistes Gerardus (de quo ad tom. 3 Galliae Christi. auct. col. 18 et seqq.) suarum diocesum loca frequenter visitaret, ac restauranda in utraque sua diocesi Religiosa, ac monastica in primis vitae desiderio arderet, vidit haud dubie doluitque, post tot Belgii abbatias, vigili cura studioque S. Gerardi

A rardi Broniensis, ac dein B. Richardi Viridunensis aut restauratas aut reformatas, Dononiensem parthenonem ex antiquis suis ruinis necdum plene emerissee, multoque minus tali dignitate ac fervore rem divinam a viris illic peragi, quali eam a sanctimonialibus sub S. Ragenfrede ac deinceps usque ad Normannicam tempestatem peractam fuisse, sibi merito persuadebat; statuit itaque, ne alioquin perpetuum interiret S. Ragenfredis eximia pietatis opus, malo huic medicam manum asserre, ac proin in consilii sui partem adsciscere Leduvinum, Atrebatensis abbatiae S. Vedasti abbatem, qui, teste chronographo Marchianensi, vir erat vere sanctus et... singularis sapientiae et virtutis, quique, uti praefato tomo Galliae Christ. auct. col. 379 asseritur, in restituenda asserendaque non domi tantum, sed et foris morum disciplina plurimum erat. Communicatis igitur probatius de revocando ad pristinum monialium statum Dononiensi parthenone mutuis consiliis, id pari studio sedulo ambo agunt, ut praefatum Flandrorum comitem et Valentinianensis iuxta ad Dononiensem territorii dominum in eandem adducant sententiam.

B ac Flandriae comitem restaurato cenobio, Baldericus scribit, 105 Haud gravate postulantium vota Balduinus comes excepit, consiliisque paruit, quandoquidem ei, teste eodem chronographo Marchianensi, Deus bonum pro restaurandis ecclesiis spiritum esset largitus, atque, ut posita ejus tumulo epitaphia etiam perhibent, vir esset virtute potens, defensor amatorque monachorum, seu Ordinis monastici. Ut ut se mea haec habet consiliorum Gerardi et Leduini expositio; equidem auctoritate Balderici indubitatum est, ejusdem Gerardi nec non Leduini abbatibus suavis in Dononiensi cenobio virgines fuisse viris subrogatas iisdemque virginibus regulariter institutis abbatissam, nomine Ermentrudem, per laudatum Flandrorum comitem fuisse praefectam, quemadmodum praefatus Cameracensis chronographus lib. 2, cap. 28 his verbis in editione Colneensis testatur: Hanc autem (Dononiensem a S. Ragenfrede ex sui juris rebus fundatam cellam seu abbatiam) postea incumbente inopia inclinatam pauci canonici (quos anonymus clericos vocat) incolabant: donec \* consilio domni Gerardi episcopi et Leduini abbatibus, moderno tempore Balduinus comes ad pristinum statum restituit \*, ibique monialibus regulariter institutis \* abbatissam nomine Ermentrudem praefecit.

106 Non poterat sane, quae piis Flandrorum comitis ceptis amborumque praesulum votis ex sententia subserviret, optior Ermentrude inveniri antistita, quae nimirum, teste anonymo Dononiensi ei coevo, nobilitatem generis morum nobilitate et regula disciplina superabat. Ipsa ejus verba accipe: Quibus (nempe monialibus praecleara abbatissa Ermentrudis [praeficitur] nobilis quidem genere, sed nobilior moribus et regulae disciplinis, [quae] res ipsas ecclesiae auxit et propevit successibus secundis; puellas quoque nobili procreatas sanguine educavit et erudit eodem loco, in timore Domini et dilectione castitatis. Quae quam vere meritoque ab anonymo asserta sint, suo satis exemplo clarisque gestis comprobavit una ex alumnis ejus, nomine Fredesendis vel Fredescendis, plus semel supra laudata, de qua et amplior etiam sermo erit, ubi cetera, quae ad hanc cenobii S. Ragenfredis instaurationem pertinent, illustrata pariter fuerint.

107 Ac primo quidem ipsum tempus, quo tam felicem fortunatamque rerum suarum conversionem Dononiensis abbatia senserit, sat prope definiamus. Citato Balderico teste, facta est S. Ragenfredis parthenonis instauratione consilio domni Gerardi, episcopi Cameracensis Atrebatensisque, et Leduini abbatibus monasterii S. Vedasti, opera vero Balduini comitis. Itaque cum Balduinus ille, passim Pulchrobarbus dictus, e vicis excesserit anno 1036, uti inter omnes convenit, consequens sit, ut certe serius, quam praedicto anno restaurati Dononiensis cenobii epocha figi non queat. Ex adverso autem cum et praefatus Leduvinus, uti in Vita venerabilis Richardi tom. 2 Junii pag. 987, num. 46 Hugo Flavinianensis tradit, anno MXXIII \* jussu et obedientia patris Richardi praelatus sit abbatiae S. Vedasti, consecrarium quoque fit, ut ejus, jam abbatibus, consilio facta Dononiensis cenobii instauratione statui ante annum 1023 omnino nequeat. Contigit igitur tempore illo, quod inter annos 1022 et 1037 medium intercedit, ac verisimiliter, ut etiam censuit Locrius in Chronico, anno 1029, postquam nempe praecedenti anno in Marchianense monasterium, Dononiensi, vicinum, boni testimonii monachi introducti ejusdem comitis praecipito et Leduini ejusdem opera fuissent, jamque ibi cenobialis disciplinae rigor innovatus esset, qua de re adis Marchianensem chronographum apud cita tum Locrium ad annum 1028.

108 Ad Religiosae vitae genus, in abbatiam hanc introductum modo progredior. Si certum omnino foret, ea omnia, quae laudatus num. 58 Rubae-vallis codex Ms. exhibet, genuina ipsius Balderici verba esse; certum vel quoque vel sola ejusdem scriptoris auctoritate fieret, moniales Benedictinas in parthenonem illum fuisse introductas: at, cum praedicti capituli 28 libri secundi lectiones in Mss. codicibus varient, atque adeo, etsi quidem probabilior, pro indubia tamen habenda non sit lectio, cit. num. 58 a nobis exposita; haud abs re erit videre, an aliunde id ipsum, quod laudatus Rubae-vallis Ms. codex ad hanc rem nostram tradit, evinci non queat. Et quidem dubitari nequit, quin tum Leduvinus, qui suo consilio magnam in Dononiensis cenobii instauratione partem habuit, Benedictini Ordinis abbas fuerit suaeque Regulae propagandae studiosissimus, tum et Gerardus episcopus pari zelo ad restaurandum monasticam religionem, utique tum Benedictinae, ordinem totum sese impenderit, ut videre est tom. 3 Galliae Christianae auct. coll. 19, 20 et 379: igitur nisi contrarium ex fide digno auctore monumentorum probariqueat, credendum omnino est, non aliud, quam Benedictinum Institutum, cujus propagandi ambo illi studiosissimi erant, in Dononiensem parthenonem fuisse ab iis inductum. Huc adde, quod certissime anno 1118, uti ex Roberti, Atrebatensis episcopi, Constitutione eodem anno data, infraque recitanda, liquet, S. Benedicti Regula apud Dononienses moniales vigerit; ac proin, cum ea post Balduini comitis amborumque laudatorum praesulum tempora Dononium introducta fuisse non legatur, ea haud dubie ipsa fuerit, sub qua Dononienses moniales Gerardi et Leduini consilio et Balduini opera regulariter, ut Baldericus loquitur, instituta fuerint.

109 Nunc S. Ragenfredis reliquiarum ejusque parthenonis historiam prosequamur. Dum, quae

ACTORE  
J. G.  
quae circa annum 1029 contigisse ostenduntur.

lege MXXIII

Introductum in abbatiam religiosae vitae Institutum,

F

ACCURR  
J. G.  
et 2 abbatis-  
sarum, sub  
quibus San-  
cta cano-  
bium

a quatuor præfatis clericis in Novo-castro relicta fuerant, S. Abbatissæ nostræ sacra pignora, magna illic in veneratione essent jamque sub felici Ermentrudis abbatissæ regimine, magis magisque, ut tempus sinebat, una cum S. Ragenfredis, etsi corpore absentis, religioso cultu Dononiensis ecclesiæ res prospere augeri provehique cœpissent, digna hæc antilista, teste anonymo nostro, universæ viam carnis ingressa est, virtutum laborumque suorum a Deo præmium receptura; cui mox suscepta est memorata jam plus sæpe Fredesendis, grandævæ moribus, ut anonymus subdit, sed juvenis ætate, cetera vero præfata matre non inferior. Hæc illius insistens vestigiis, omnimoda dignitate locum (Dononiensem intelligit anonymus) quem regendum susceperat, in omnibus melioravit, vetustatem et ruinam claustrum (post Normannicam cladem a canonicis necdum plene instaurati) pro posse renovavit, et, ut ferreis temporibus erga suos \* aurea succederent, omnimodis elaboravit; ac tali quidem industria ingenioque commissum sibi parthenonem, teste anonymo, gubernavit erexitque, ut, nisi in vita hominem laudari prohiberet Sapientia, plurima se de ea relaturum fuisse, coævus ille anonymus aperte professus sit.

\* an suas?

ejusque cul-  
tus refloruit,  
notitia da-  
tur.

110 Hæc illa est Fredesendis, seu, uti tomo 5 Galliæ Christianæ col. 342 vocatur, Frisildis vel Faisildis, quam Balduini, Insulensis dicti, et Flandrorum comitis uxor, nomine Adela, Messinensi seu Messeniensi prope Ipras abbatissæ, a se anno 1060, ut Miræus ex hujus loci monumentis tom. 1 Operum Diplomaticorum pag. 64, Annolato 1 tradit, ædificari cœptæ, abbatissæ loco præesse etiam voluit, quæque novellam hanc quoque plantationem (anonymi verbis utor) plus quam talis patiebatur ætas et sexus, direxit et erexit. Ejusdem Fredesendis jussu conscriptam ab anonymo nostro fuisse S. Reginæ Vitam, cui et S. Ragenfredis gesta quædam intacta sunt, non est quod multis repetam, cum sat fuse actum ea de re sit supra. Sufficiant adeo jam data hujus abbatissæ notitia certa que anonymi nostri alas assignata, ut ad peractam feliciter sub ea S. Ragenfredis corporis recuperationem cultusque ejus apud Dononienses augmentum nunc libero tramite progrediamur.

### c § VIII. Recuperata a Dononiensibus majora Sanctæ ossa, dein et minora: hæc in decenti lipsanoteca reposita: impensa eis in variis locis veneratio.

Fredesendis  
abbatissa,  
cum ad No-  
vum ca-  
strum di-  
vertisset,

Quo ordine S. Ragenfredis corpus, tamdiu ecclesiæ suæ subtractum, quæ felici eventu suo parthenoni restitutum fuerit, verbis hæc anonymus laudatus cap. 7 enarrat. Contigit, abbatissam (præfata nempè Fredesendem) ecclesiasticæ dispositionis gratia versus urbem Remensem equitare (huic enim metropoli tum suberant Cameracensis et Atrebatensis dioceses) et, ignaram præteritæ vel futuræ rei, per Novum-castrum, super Ysam situm, cujus superius (vide num. 100) fecimus mentionem, transitum habere, ibique cogente hora (Deus vero dispone-

bat iter ejus) necessarium habuit pernoctare. D. Gratanter igitur suscepta hospitio ab ejusdem castrum committis, post susceptionem ad ecclesiam ab eadem ducitur oratura. Oravit et surgens ab oratione Psalteriolum ibi invenit, cujus folia volvendo et revolvendo, Letania oculis ejus apparuit, quam perlegens inter nomina Sanctorum nomen sanctæ Ragenfredis dissimili colore, id est, minio inscriptum reperit, cui gratia nimie dilectionis infigans osculum (sperabat \* enim, adhuc eam se habere ex integro apud cœnobium suum) requiritur jocunde cum saltibus \* a comitissa, cui Sanctorum tam dulciter cum affectu pietatis libaret oscula? Domine meæ, ait illa, sanctæ Ragenfredi, cujus presentia in monasterio meo multas miseraciones mihi exhibet et omnium petitioni. Non est ita, respondit comitissa antecessor meus (vide hæc spectantia num. 101) centum et decem libris emit ejus sanctum corpus a quibusdam clericis in hac patria, et sine dubio requiescit in hac ecclesia.

112 Econtra satagebat abbatissa rem suam verbis affirmare, sed monialis quædam nomine Emma, (alibi Emma vocatur) quæ secum erat, maturior ætate, cubito (assistebat enim ei) pulsata innuit silere. Sic est dimissus; itum est cœnatum, post cœnam dormitum, diluculo discessum. Expleto itineris negotio, redit abbatissa et de corpore sanctæ virginis nec sibi nec comitissæ multum credula narrabat suis non sine mœrore visa et audita. Irruit statim super eas (Dononienses moniales) formido et pavor, et inerat cordibus earum variis credendi error. Res enim incredibilis erat (iisdem nempe monialibus, quibus nihil unquam de quatuor præfatorum sacri corporis bajulorum fraudulentia innotuerat) et ideo maxime, quia nemo credere volebat, quod omnino amisisse nolebat; sed industria abbatissæ res probata, voluissent noluisse, ad credendum persuadebat \*; et, quid tunc facerent, incertiores erant, si celarent aut propalarent. Sed, ne locus vilesceret, si vicini tanto thesauro vacuum rescirent, cœperunt ergo deliberare, si quo modo ad recuperationem sancti corporis possent pertinere, et quia angustia doloris inquiri solatium necessitatis, non defuit eis consilium supernæ dispositionis.

113 Post aliquot enim dies affuerunt Dononii quidam clerici illius regionis, ferentes secum reliquias causa suæ revelationis; ecclesia quippe eorum desolata erat crebrescentibus verris. Qui abbatissæ jussu honorifice hospitio suscepti, reliquiis in ecclesia dispositis, seipso exornaverunt \* in domo Gerardi cujusdam (num. 4 memorati) presbyteri. Post escam et potum, post multas circumloquutiones \*, ut mos est clericorum, sermo incidit Gerardo de sancta Ragenfrede, qui adhuc \* intendebat animum. Statim vero datus clericis, Hugone et Henrico, respondentibus, se nosse locum, et, si merces non deesset, posse Virginis restituere thesaurum. Itæ, ait Gerardus, et redite absque dubitatione mercedis, si sponsonem ad effectum perduxeritis. At illi, illustratis aliquibus provinciæ partibus, discesserunt, et majoris quæstus sponsonem capti, Deo volente \*, rem ad effectum perduxerunt. Reliquias Virginis, Dei nutu receptas, Silvanectis \* detulerunt, quibus in salvatione suis repositis \*, Henricus recurrit Dononium exigere sponsonem suæ pactionis.

114 Quem cum vidissent Gerardus et Emma (moniali supra memorata) præ nimio anxii gaudio,

Dononium  
refertur cu-  
rat,

\* Silvano-  
ctum

gaudio, expetierunt consilii secreta, et effectu rei audito, vocatur abbatissa; numeratur ei quantitas pecuniae; et, assumptis secum duobus clericis, Andrea et Heldino, Silvanectis \* regreditur cum velocitate; et eo velocius, quominus cum securitate; detegit eis et restituit thesaurum absconditum, majora videlicet sanctae Virginis ossa, et facto sibi invicem vale, velociore votis, quam gressibus, cum timore et gaudio repetit unusquisque sua. Alter vero duorum, Andreas scilicet, grandi deprehensus infirmitate, cum ceptum iter male securus nullo modo auferret retardare, maxima corporis deficiebat contritione. Sed paulo post fit ei sancta Virgo baculus et medicina infirmitatis suae. Cum enim pervenissent Dononium, quatinus statim laboris et timoris reciperet aliquid praemium, ubi in ecclesia disposerunt Reliquias cum laudibus et hymnis, clericus repentinam et integram recuperavit salutem suam invaliditatis; quibus ita gestis, grandis inerat eis exultatio de relictis; sed imperfecta adhuc supererat de relictis; clericus quippe, qui majora tulerat ossa, dum timet deprehendi, minora non perstitit comprehendere, quorum spes omnis ablata abbatissae et suis omnem consilii viam videbatur excludere.

B  
dein indu-  
stria mo-  
nialis, no-  
mine Em-  
mae, No-  
vum ca-  
strum pro-  
fecta

115 *Hactenus anonymus noster, Fredesendi, sub qua haec contigerunt, ut plus saepe monui, synchronus, et apprime notus, qui, quo pacto minora etiam S. Ragenfredis ossa Dononium relata fuerint, hisce verbis mox prosequitur*: Sed non deest Dei omnipotentia, quae, ut manifestius pateret, arte tractatur feminea. Emina siquidem (seu Emma) monialis illa, quam praescripsimus cum abbatissa fuisse apud Novumcastrum, quandoquidem nullum animal audacius est muliere, animo tractat impugnare et expugnare ipsum oppidum (imo castrum sacrum thesaurum) et, quod mille viri non auferret incipere, incipit et perficit unius mulierculae ingenium. Parat novam expeditionem, virum videlicet rusticum et rusticam ninivam \* etate et panis veterem, quibus secum pedestri gressu comitantibus, ipsa, ascenso jumento, tendebat ad oppidi expugnationem; venit autem illic tertia die, quasi iter agens, prandii jam instante hora, et loco non hostis, sed hospitis (res enim adhuc latebat) suscepta caritate, qua prius, a comitissa, cum se diceret, illa die adhuc non audivisse Missam, navigio, quo citius rediret, moneatur adire ecclesiam; tantus enim erat per terram viae circuitus, ut navigaret et renavigaret multo citius elegit tamen pedes ire, quatinus notata sibi via post prandium illuc posset familiariter redire.

et minora  
issa elan-  
culum fur-  
ta

116 Post Missam rogata morari reliquum diei, quod etiam non rogata petiisset, libenter praebuit assensum, sed iterum monita, ut dormiendo (erat enim mensis Mayus) requiesceret paululum, velle magis respondit adire ecclesiam psalmodiatam; et, ne aliqua notaretur suspitione, cum rustico et niniva sua \* alteram assumpsit secum ninivam de domo, eleemosynariam comitissa, cum qua securus vadens ad ecclesiam, diutius oravit, et post orationem residens, psalmodiare cepit. Non valuit illa tantam moram cum eis continuare, sed affecta [tadio] psalmodiorum; (nec enim paupertas \* ejus psalmis, sed pane egebat) egreditur sua procurare. Post cujus egressionem exiliens monialis, dispositis suis per custodias competentibus lo-

\* i. e. famu-  
la

\* supple loci

cis, ipsa aggreditur spoliare [exertis] brachiis scrinium, in quo erant Reliquiae sanctae Ragenfredis. Trepidabant sui nimio timore forinsecus, illa autem non minus gaudio quam timore trepidans et aestuans intrinsecus, quidquid erat in scrinio, scopebat in sacculo suo, etiam pulverem cum ossibus.

117 Ubi vero suos revocavit, et dissimulationis iterum causa tenens Psalterium, satis laeta, secuta, cum eis resedit, ducitur ad ecclesiam muliercula, quae per aliquot dies febricitabat, et, ut mos est infirmorum, ab eadem monialis, si quid contra hujus pestem nosset, requirebat. At illa rogat aquam deferri, et quiddam medicinale, quod lotum talibus solebat prodesset, dicens inesse sibi, statim lavat secreto Reliquias sanctae Virginis, quas habebat in sacculo, et dans ei potum, curratam gavisa est abire continuo. Sicque Deo disponente iter et opus suum, sole jam inferiora petente, regreditur ad hospitium, et, ne aliquis, si consideret, forsitan deprehenderet sacculum in sinu ejus repositum, simulata incommoditate, tantummodo petit quiescendi locum [et] lecto sine mora parato collocatur. Lucerna, quam petierat sub obtentu quidem infirmitatis, sed pro reverentia sanctae Virginis, ante lectum accenditur; sed ea nox ob tanti custodiam thesauri ab ea insomnis ducitur. Mane autem facto, accedit ad comitissam et exosculans, se non ultra audere progredi propter verras \* et incommoditatem suam [dicit, et] ne illud nobile furtum aliquo deprehenderetur signo, releundi ad monasterium petit et accipit licentiam, et ingressa viam, quam credebatur securiorem, panigerica crustarum effecta, quas, si requiret, quid ferret in sinu suo, ostentaret, ad comitum revelationem Dononium tendebat cum cito gressu per diem et noctium successione... Sicque pervenit ad monasterium, exultans in Christo prosperitate itineris.

AUGUSTI  
J. G.

cum isque  
Dononium  
reversz,

E

\* i. e. bella

\* i. e. famu-  
lam

recuperatum  
integrum  
Sanctae cor-  
pus magni-  
fico scrinio  
recondi cu-  
rat.

118 Videres alteram Judith sororum excipi jocunditate, laetari abbatissam maxima exultatione, clerum et populum mirari rem gestam, et omnes communiter Deum laudare. Sic ars deluditur arte, et distractio, facta clericorum factione. Quam rem abbatissa prudenter considerans gestam divinitus, [atque] ad salutem animae, et gloriam vitae, et augmentum ecclesiae suis accidisse temporibus, ejusdem monialis, praedictae videlicet Emmae, instantia et ope fabricari fecit scrinium ex auro et argento magnificentum vel magnificentissimum, in quo debita veneratione reclusit corpus sanctae Ragenfredis ad protectionem et securitatem posteris omnibus: quae, medio statuta loco inter sanctam Reginam matrem suam, cui successit (vide poliis dicta num. 45) et Avam, quam praecessit in regimine, ad gloriam et honorem sanctae Trinitatis, per sponsum Dei filium meritis earum et precibus locum suum protexit et illustravit antea et postea operibus mirificis. Ita hactenus anonymus Dononiensis in nostro Guisiani Operis Latini fragmento, si, praeter jam mox infra dicenda excipias verba aliquot, quae, quod partim in illo apographo desiderarentur, partim minus accurate aut prorsus perturbate descripta essent, ea conjectura suggesti, utque ab anonymi verbis secerni possent, unci inclusi.

F

119 Nunc, quamobrem pro narratiuncula quadam, jam date anonymi relationi apud Guisium

AUCTOR  
J. G.  
Recitata  
anonymi  
narratio, e  
qua consul-  
to quodam  
resecta fue-  
rit.

sium inserta, num. 117 puncta aliquot substitue-  
rim, alterumque prodigium, quod in eodem fra-  
gmento anonymi relationem consequitur, hac pari-  
ter non transcribam, reddenda mihi est ratio. Quod  
ad narratiunculam illam spectat, etiamsi anony-  
mo nostro, veluti auctori, quod tamen non ausim  
asserere, tribuenda hæc esset, nec vana imagine  
delusa fuisset monialis illa, dum animalculum,  
propterea quod ad sacras S. Ragenfredis reliquias  
accesserat, divinitus occisum censui deindeque Do-  
noniensibus narravit; res equidem hæc vel sic non  
tanti visi mihi est momenti esse, ut ipsis, quibus  
apud Guisium refertur, verbis recensenda foret.  
Alterum vero prodigium, quod apud citatum Gui-  
sium integro cap. 34 Aldo quidam, famosus rap-  
tor, divinitus punitus fuisse narratur, hic re-  
citandum itidem non censui, tum quod vehemen-  
tissime dubitem, an anonymi nostri verba etiam  
sint, quæ ad capitis 32 calcem tologæ sequenti  
capite libri 12 Guisiani Operis Latini exhibentur;  
tum quod Baldericus lib. 3 Chronici sui cap. 20  
sumptum divinitus de eodem prædone vindictam  
enarrans, nusquam de illata ab eo Dononiensi  
B ecclesiæ injuria contumeliave meminerit; ac de-  
nique, quod, teste Balderico, horribile illud Al-  
donis exitium nec eo, quo apud Guisium refer-  
tur, modo, nec eo etiam tempore contigerit, sed,  
uti Cameracensis Chronographus testatur, sub  
Wenrico, monasterii S. Gislei in Hannonia ab-  
bate, ante annum 1027, uti tom. 3 Galliæ Chris-  
tianiæ auctæ col. 92 liquet, certe defuncto, ac  
proin non postquam S. Ragenfredis reliquias opera  
Fredesendis e Novo-castro Dononium resectæ es-  
sent, sed annis fortasse viginti prius, quam Do-  
noniensi cœnobio memorata abbatissa præesset.

falsi argui  
non potest  
ex verbis  
Fredesen-  
dis abba-  
tissæ.

120 Reliquum modo est, ut, quæ circa tran-  
scriptam anonymi narrationem moveri possent,  
questiones attingamus. Ac primo quidem dubi-  
tandum non nemini videbitur, an Fredesendis,  
Dononiensis abbatissa, dum Novi-castrî dominiæ  
multa in suo cœnobio S. Ragenfredis patrocinio  
concessa divinitus beneficia fuisse asseruit, insi-  
gniter mentita non sit, quandoquidem tunc non in  
Dononiensi, sed in Novocastrensi ecclesia sanctæ  
Abbatissæ nostræ sacra pignora asservabantur.  
Verum respondeo, Fredesendem propterea nec  
falsitatis, nedum mendacii, arguendam esse, cum,  
uti exemplis compluribus ostendi posset, minime  
C infrequens olim fuerit, ut ad Sanctorum sepulcra  
vel lipsantheas, etsi sacra pignora extracta in-  
de fuissent, eadem pii fideles beneficia divinitus  
experirentur, quæ alias, si ipsa Sanctorum cor-  
pora coram affuissent, divino munere impetras-  
sent; id ipsum autem et Dononii, dum sola S. Ra-  
genfredis lipsanthea illic pie servabatur, favente  
Deo fidelium votis, re ipsa factum fuisse, asse-  
renti nobilissimæ virgini piissimæque antistitæ  
credi non immerito potest.

nec ex ad-  
iunctis mi-  
raculi,  
in febrienti  
femina  
facti,

121 Nec est quoque, cur in dubium vocetur,  
an monialis illa, nomine Emma, plus semel su-  
pra memorata, minora aliquot S. Ragenfredis ossa  
aqua laverit et hanc febrienti mulieri po-  
tandam dederit non sine salutari exoptatoque  
eventu. Quippe, cum, teste anonymo, sacri cor-  
poris particulas secreto et inscia febrientante mu-  
liere paulisper aquis immerserit, et has, veluti  
arcanum aliquod præcipuumque remedium, epot-  
andas ei præbuerit, imperato fortassis etiam fe-  
brienti femine silentio; profecto aut nulli, aut  
exiguo dumtaxat prodendi sui furti periculo sese  
monialis illa objiciebat; et, utut imprudenter

ea in re Emmam egisse, quis velit; nihil hinc  
contra narrationem illius verisimilitudinem evincere  
potest, cum quandoque non mulieres tantum, sed  
et viri, alioquin satis cordati, subinde quidpiam  
præpropere aut minus considerate agant, quod  
multo consultius omittendum fuisset. Porro ne  
eadem anonymi relatio aliunde apud quosdam in  
falsi suspicionem veniat, aut superstitionis eor-  
dem monialis arguatur, propterea quod minora  
aliquot S. Ragenfredis ossa aquæ immerserit,  
hancque febrienti epotandam præbuerit, lubet in  
medium proferre ejuscemodi aliquod certoque di-  
vinitus eodem fere tempore patratum prodigium,  
quod Wibertus, S. Leonis P. P. IX archidiaconus,  
auctorque fide dignissimus, apud nos tom. 2 Apri-  
lis pag. 656, lib. 2 Vitæ S. Leonis cap. 1 verbis  
sequentibus refert.

122 Summa inerat ei devotio (de S. Brunone,  
tunc Tullensi episcopo et tantum dein Leone IX  
dicto, loquitur) summum Pontificem et pri-  
mum cæli clavigerum annuo invisere recursu et  
pro ovibus a Deo sibi ejus juvenem sup-  
plicii exorare precatu. Itaque quodam tem-  
pore solitum aggressus iter, comitante cætu cle-  
ricorum nec non laicorum, quingentorum nu-  
merum supergredientium, qui pro ipsius meri-  
torum dignitate, affabilitate, sanctitate, indi-  
vulsum ejus sequebantur comitatum, cunctis sur-  
rexit lues dira, Italici corruptione aëris, ita ut  
nulli hac tabe infecto esset spes in crastinum  
differendæ mortis. Vir autem Domini... festi-  
num reperit remedium divina gratia præcurrente.  
Nam Sanctorum, quæ secum vehebat, propria  
manu tinctis vino pignoribus, maximeque S.  
Apri (de quo vide tom. v Septembris pag. 55  
et seq.) articulis, cui se commendabat devotus;  
quicumque hujusmodi poculum quantumcumque  
libasset, mox convalescebat, quantumcumque lan-  
guor eum invasisset, si tantum liquoris illius  
sapore gustare valuisset. Adis, ut cetera nostri  
Operis volumina hic præteream, tom. 3 Octobris  
pag. 436, num. xi et 16, et tom. vi Septembris pag.  
266 num. 14, quibus, quam frequens olim in eccle-  
sia quamque salutaris divino munere ægrotis fue-  
rit, ac proin quam a superstitione omni alienius  
aquarum eo modo sacrarum usus, manifestissime  
comprobatur.

123 In ipsum mox tempus, quo tum majorum,  
tum minorum S. Ragenfredis ossium recep-  
peratio facta sit, inquiramus. Teste anonymo sa-  
pe laudato, duo illi Novicæstrensis regionis cleri-  
ci Hugo et Henricus, qui, majoris lucri spe ille-  
cti, se sanctæ Abbatissæ nostræ corpus Dononiensibus  
restituturos sponderunt, Dononium eo  
tempore cum sacris aliquot reliquiis subsidii fla-  
gillandi causa venerunt, quo tempore eorum eccle-  
sia exitioso bello quodam desolata fuerat: igitur,  
cum, uti ex Annalibus Benedictinis Mobilium  
lib. 57, num. 55, tom. 4 pag. 403 discimus, ad an-  
num 1035 Henricus, Francorum rex, Novicæ-  
strum, ad Axonam situm, obsidione cinxerit et  
demum expugnavit, non sine magno, uti rex ille  
in suo illic diplomate innuit, diuturnoque labore,  
vix dubitandum videtur, quin hujus obsidionis  
occasione, ut fieri alias in ejusmodi bello  
solet, desolata fuerit illa clericorum ecclesia,  
vel in ipso Novo castro vel in ejusdem territo-  
rio sita; ut adeo saltem non prius, quam præ-  
fato anno 1035 Dononium illi clerici venerunt,  
viamque recuperandi corporis S. Ragenfredis  
ostenderit. Num vero eodem labente anno,

A an potius subsequenti, cum jam paulo pacatiore Novocastrensibus essent tempora, id factum fuerit, haud equidem pro certo definire ausim. Ut sit, sat prope tempus, quo S. Ragenfredis ossa majora ad Dononiensem ecclesiam relata fuerint, definitum habemus, quandoquidem, uti anonymus narrat, iidem clerici, lustratis tantum aliquibus provinciæ, puta Hannoniæ, partibus, lucri majoris sponione capti rem ad effectum illico perduxerunt, clam surreptis et Novocastrensi ecclesia sanctæ Abbatis nostræ majoribus ossibus, quæ Silvanectum detulerunt, unde Dononium omni festinatione resecta sunt.

124 Atque hinc simulque ex ejusdem anonymi verbis, num. 115 et 118 recitatis haud obscure colligitur, anno 1037 minora quoque Sanctæ nostræ ossa Dononium relata fuisse; quandoquidem eo anno, ut apud Chesnium tom. 4 Scriptorum Franc., auctor fragmenti pag. 86 scribit, Tebalduus et Stephanus filii ipsius (nempe Odonis comitis, cognomento Campaniensis) more suorum patrum, qui semper infidi regibus extiterunt, contra regem Anricum (alias Henricum) rebellaverunt, Odonem fratrem illius (Henrici) falsa spe regni illicentes. Qui pollicitationibus eorum credulus, fratri manifestus factus est inimicus. Exin cædes, rapinæ, incendia depopulationesque pene universam demoliti sunt Franciam. Cum itaque anonymus noster, eo tempore Emmam, Dononiensem monialem, ad Novumcastrum profectam fuisse, scribat, quo bellum, a priori, ut mihi videtur, diversum, in Francia gerebatur, nimirum versus Campaniæ Galliæ fines, cujus etiam specioso prætextu se non ultra progredi audent, fassa eadem est Emma, protinusque Dononium rediit; haud alienum a vero est, eo ipso anno 1037 surrepta ab eadem moniali fuisse minora, de quibus agimus, S. Ragenfredis ossa; quæ eo, quo refert anonymus, modo ad Dononiensem cœnobium deportata, postmodum cum majoribus in scrinium, auro argenteoque magnificentiam, munificisque, ut loquitur sumptibus fabricatum, illata fuerunt locoque inter S. Reginæ et B. Aræ Lipsanothecas medio, honorificentissime constituta.

125 Porro, si Henrico d'Outreman, Historiæ urbis et comitatus Valentiniensis auctori, pag. 434 habenda fides sit, consequens pariter fit, ut via anno uno immota illic perstiterit S. Ragenfredis lipsanotheca. Etenim, cum ab anno, uti ipse illic adstruit, 1008, et quidem ex Valentiniensis tum comitis decreto sicutum ratumque esset, ut die viii Septembris, in depulsæ Deiparæ ope ex urbe illa pestilentia memoriam, quotannis solenni supplicantium ritu, quotquot in eo territorio exstarent Cœlitum corpora, per urbem Valentianensem deferrentur; haud dubium est, quin, si recte scripserit d'Outremanus, ad festi illius pompam fideliumque pietatem augendam, eo quoque delata fuerit Sanctæ nostræ lipsanotheca, nimirum vel ipso anno 1037 vel saltem allerutro ex sequentibus, quo tempore ei facillime manus ultima imposita fuisse potuit. Ut sit de indictæ supplicationis decreto; invaluit certe a multis seculis religiosus ille mos, ut die viii Septembris, natæ Virgini Deiparæ sacro, S. Ragenfredis corpus cum multis aliis Sanctorum Reliquiis solemniter per urbem Valentianensem quotannis deferatur totoque cum illis octiduo illic ad fidelium præsidium permaneat, uti ex libello anno 1614 Valentianis de hoc argumento edito, atque ea

Litanis Sanctorum pag. 122 et seqq. illic exhibitis, indubitatum fit. Num etiam seculi xi anno 66, cum Balduinus Pius, Flandrorum comes, summo splendore Deo dedicari cuperet Insulensem in Flandria S. Petri ecclesiam, cum aliis totius ditionis ejusdem comitis Sanctorum corporibus deportatum fuerit S. Ragenfredis corpus, sine antiquioribus, quam quos inveni, testibus, edicere indubitanter non ausim. At certissime anno 1070 ad solennem Hasnoniensi cœnobii, haud procul a Dononiensi siti, dedicationem honorifico ritu delata fuerunt S. Ragenfredis ejusque sanctæ matris Reginæ lipsanothecæ, comitante utrasque Fredesende, eadem, nisi vehementer fallar, quæ jam sæpe memorata est, abbatissa.

126 Rem hanc, utpote ad Sanctæ nostræ gloriam posthumam non mediocriter facientem, ipsis veterum scriptorum verbis referre visum est. Ita auctor Libri de Translatione S. Donatiani, Remensis archiepiscopi, in urbem Brugensem apud Surium xiv Octobris pag. 224: Cum inclytus Flandriæ Marchio, Balduinus (Montensis dictus) cultor justitiæ, pacis amans, inter cetera bonorum operum studia monasterium in castro Hasnoniensi fundatum extruxisset, ejus dedicationi causa mirificos ex immensis opibus suis adhibuit apparatus, tantæque solemnitati omnes Flandriæ optimates cum suis jussit interesse, cunctorum quoque Sanctorum suæ ditionis corpora cum episcopis, præpositis, abbatibus et subditis suis adesse voluit. Consentit auctor Historiæ Hasnoniensi cœnobii Tomellus nomine, qui præfate Balduino, Flandriæ et Hannoniæ comiti, a secretis fuit, et rei gestæ interfuit, ita tom. 3 Anecdotorum Martenei et Durandi col. 790 scribens: cui translationi (nempe Reliquiarum SS. Marcellini et Petri) simul et dedicationi (Hasnoniensi cœnobii) præsules Lietbertum Cameracensem, ad cujus diocesim (ratione nempe unitæ tunc huic Atrebatensis diocesis) locus idem respiciebat, Ratbodum Novomagiensem, Raynerum Aurelianensem invitatos interesse faciebat; adjunctisque eis quam plurimis abbatibus, cum quam plurimis Sanctorum patrocinii, sæpe memorati encenias cœnobii non modicis transegit solemnibus.

127 Dein, paucis interjectis, quibus dedicationem hanc tertio Nonas Junii anno ab Incarnatione Domini mxxv a tribus episcopis peractam narrat, Sanctorum corporum, quæ ad dedicationis illius augendam pompam eo variis ex locis delata fuerunt, seriem texit, quam, quia Belgis hagiophilis non ingratis fore arbitror, integram huc transcribo. Ita habet: S. Marcelli Papæ, S. Plati martyris, S. Salvii martyris de Valencenis, S. Innocentii de Condato, S. Amati de Duaco, S. Donatiani de Brugis, S. Vedasti de Atrebato, S. Amandi de Helnone, S. Audomari de S. Audomaro, S. Gisleni de Cellensi, S. Vincentii comitis Hannoniæ, S. Bertini de S. Bertino circa Audomarum, S. Vinoci de Flandria, S. Wandregisili de Blandinio, S. Bavonis de Gandavo, S. Everardi de Osonio\*, S. Euberti de Insula, S. Landelini de Crispino, S. Hugonis de Haspra, S. Aycaardi de Haspra, S. Eusebiæ de Marchenis, S. Ricetrudis matris de Marchenis, S. Aldegundis de Malbodio, ac, quod huc maxime spectat, corpus S. Ragenfredis de Dononio, S. Reginæ de Dononio, et demum S. Waldetrudis de Montibus. Hisce Tomellus laudatus abbates quindecim, qui præfate de-

AUCTOR  
J. G.

ac dein anno  
1070 ad Hasnoniensi ecclesia dedicationem illustrandam

E

cum aliorum Sanctorum Reliquiis magno apparatu deportatum est.

F

\* an Cisionio?

dedicationi

ACTORS  
J. G.

*dicationi interfuerunt, nominatim subdit, ac denique abbatissas duas, Fredesendem nempe, haud dubie Dononiensis parthenonis, ut supra etiam monui, abbatissam, jam satis grandævam, aliamque, nomine Gerbergam, de qua, quod huc non spectat, nihil hic inquirō.*

### § IX. Quamdiu in Dononiensi parthenone moniales Benedictinæ sub titulo Congregationis S. Ragenfredis degerint, inquiritur.

Moniales  
Benedictinæ  
a sec. XI,  
sub titulo  
congregatio-  
nis S. Ra-  
genfredis

*Jam satis, arbitror, de S. Ragenfredis Reliquiis, de sanctimonialium, ab ea institutarum, primævæ vitæ norma, ac denique de ejusdem parthenonis anno verisimiliter 1029 inchoata, deindeque continuata pleniori instauratione disserui, ut modo ad Dononiensium monialium eodem seculo XI ac deinceps vitæ rationem elucidandam progrediar. Quæ Gerardi I et Leduini abbatibus consilio, opera vero Balduini comitis substitutæ Dononiensibus clericis fuerunt moniales,*

**B** *eas non canonicas simpliciter dictas, nec quales modo sunt, canonicas Regulares vel seculares fuisse, sed contra stricti nominis Benedictinas, vel ex iis, quæ num. 106 et 108 in medium producti, documentis rationibusque facile perspiciet intelligens lector. Nunc itaque, quamdiu in eodem parthenone S. Benedicti Regula vigerit, qualesque idem parthenon subierit vicissitudines, utcumque discutere aggredior, plura lubens daturus, si tandem subministrata fuissent documenta, quæ plus semel expetita a nobis fuere. Ac primo quidem, quo manifeste pateat, anno Christi 1118, ac proin annis circiter 90 post cœnobii inchoatam instaurationem, sub S. Benedicti Regula moniales illas Deo militasse, quodque ad Sanctæ nostræ gloriam posthumam simul facit, earum cœtui titulum Congregationis beatæ Ragenfredis virginis fuisse legitima auctoritate inditum; lubet huc ex tom. 6 collectionis nostræ Ms. cœnobiorum Belgii parte 2 fol. 424 integram transferre chartam Roberti, secundi diœcesis Atrebatensis post hujus a Cameracensi separationem episcopi, anno 1115, uti tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 324 videre est, consecrati, nimirum vel eœunte Februario vel initio Martii, prout ex ejus ibidem epitaphio facile colligitur.*

usque ad  
sec. XII, uti  
probat di-  
ploma

**C** *129 Ita igitur charta illa, hactenus, quod sciam, inedita, sonat: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius veri ac summi Dei, Amen. Ego Robertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dulcissimis petitionibus tuis et ecclesiæ, cui præesse dignosceris, satisfaciens, dilectissima soror et filia, Maria, abbatissa venerabilis CONGREGATIONIS BEATÆ RAGENFREDIS VIRGINIS, Dononiensis monasterii, pro peccatorum nostrorum redemptione tibi tuisque, succedentibus in eo, quo es loco et ordine, abbatissis, sub REGULA SANCTI BENEDICTI Deo militantibus, sine aliqua turpis lucri exactione altaria de Laugmug et de Proui non solum concedimus, verum etiam, quæ præsidemus, auctoritate, liberaliter in perpetuum confirmamus, salvis in omnibus Atrebatensis episcopi jure et redditibus ejus et archidiaconi ministrorumque ejusdem. Si quis autem post*

hanc nostram diffinitionem manu sacrilega ab ecclesia, cui, Deo disponente, annuimus, auferre attemptaverit, vel ingeniosis machinamentis contra ea ire presumpserit, cum Symone Mago anathematizetur.

130 Addecimus etiam, ut et vestra vestrarumque succedentium abbatissarum providentia idoneos presbyteros Atrebatensi episcopo præsentet, cui possessionem \* de honestate vitæ eorum et castimonia, sicut canonicum est, faciant, atque obedientiam promittant, ac deinde curam de manu episcopi in prædictis ecclesiis de Laugmug et de Proui in populo Dei gerendam gratis accipiant; abbatissa autem Dononiensis monasterii, vos videlicet, honorabilis in Christo soror Maria, et succedentes vestræ abbatissæ Atrebatensi synodo interesse non negligant, nisi cum benivolentia episcopi relaxata fuerint, aut archidiaconi ejus, si vices pontificis \* exequendo synodum tenuerit. Ut autem hujus nostræ constitutionis scriptum stabile et inconuulsam permaneat, fideles testes fratres nostros annotare procuravimus. Signum Drogonis Atrebatensis archidiaconi. S. Roberti Ostrevandensis archidiaconi. S. Odonis prepositi. S. Mascelini decani. S. Anastasii cantoris. S. Gualberti diaconi. S. Bertulfi, Bernardi, Roberti canonicorum clericorum domus episcopi, Guennemari sacerdotis, Guiberti diaconi, Hugonis acoliti. Ego Robertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, hoc libertatis donativum relegi, subscripsi † et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti propria manu confirmavi. Actum anno Incarnati Verbi MCMVIII, x Calend. Octob., Indictione XII, anno pontificatus Domini Roberti, Atrebatensis episcopi, IV.

131 Porro lectorem duo hic monitum velim: alterum nempe, signalam supra Indictionem XII utpote cui anni 1118 dies x Calend. Octobris sexagesimo Septembris innectitur, non Pontificiam, nec Cæsaream esse, sed Constantinopolitanam, quam proin, nisi chartæ illius subscriptionem plus uno loco a librario perperam expressam dicamus, apud Belgas quoque seculo XI adhibitam fuisse, fateri necesse est. Alterum vero, quod itidem indicare visum est, in eo versatur, quod in nostro hujus chartæ apographo post voces illas: Indictione XII, præfixa voce anno, numerus II signalus sit, qui si in ipso autographo exstat, vel erit nostri eographi lacuna hoc modo explenda: Indictione XII, [Gelasio PP.] II [anno I] Pontificatus; domini Roberti Atrebatensis episcopi quarto, nempe I circiter mensibus inchoato, uti ex emortuali hujus episcopi in præfato epitaphio signato tempore, nempe x Calend. Martii anno MCMXXI, anno XVI episcopatus fere completo, computatis ordine retrogrado 16 annis, manifeste eruitur; vel forte, inversis numeris II et IV, ita erit legenda subscriptio: Anno IV pontificatus domini Roberti, Atrebatensis Ep. II, nempe proprii post diœcesis a Cameracensi separationem.

132 At vero laudata eo diplomate monialium S. Ragenfredis congregatio post 34 circiter annorum decursum non eodem religiosæ vitæ tramite incessit, aut certe non æque honorifica religiosa disciplinæ fama ubique usa est, uti ex litteris Eugenii PP. III, Romæ apud S. Petrum ad montes Dinyacenses seu Dononienses datis, intelligimus, quas, utpote ad parthenonis S. Ragenfredis historiam spectantes, ex tomo 5 Miscellaneorum Baluzii pag. 430 hic recitabo, nonnullas in monumentum illud observationes dein subditurus. His

A *verbis id concipitur* : Eugenius episcopus, servus servorum Dei, sanctimonialibus Dinyacensibus salutem et Apostolicam benedictionem, Quod vos Apostolicæ benedictionis alloquio salutamus, non ex vestris meritis fieri, sed ex Apostolicæ sedis consueta benignitate credatis. Non enim de conversatione vestra nobis talia referuntur, quæ nostrum animum incitent, ut vobis Apostolicæ benedictionis gratiam conferamus; quoniam, sicut relatione quorundam audivimus, ita laxis habentis post vestra desideria curritis, ut vestri voti memoria videatur a vobis penitus excidisse, et videamini retrorsum abire, cum ad anteriora deberetis totis viribus anhelare. Sane caritatis igniculus, qui fomes et nutrimentum honestatis esse dignoscitur, peccatis exigentibus, adeo in vobis refriguit, quod monasterium vestrum tam in spiritualibus, quam etiam in temporalibus est plurimum imminutum.

oppositum probare videtur.

133 Nos igitur, quoniam statum vestrum in melius cupimus, auxiliante Domino, reformari, venerabili fratri nostro Godescalco, Atrebatensi episcopo, de cuius utique honestate ac religione confidimus, quoniam in his plenius instructus esse dignoscitur, dedimus in mandatis, ut gratam Deo religionem in vobis studeat reformare, et monasterium vestrum ad frugem melioris vitæ reducere. Ideoque per presentia vobis scripta mandamus atque precipimus, quatenus in his quæ ad emendationem vitæ vestræ et correctionem monasticae disciplinae spectaverint, supradicto fratri nostro humilitate debita pareatis et ipsius monita et salubria mandata benigne suscipiatis et irrefragabiliter observetis; scientes, quia, si de cetero salubribus monitis ipsius contempseritis obedire, nos sententiam, quam propter hoc in vos ipse dictaverit, auctore Deo, ratam habebimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Februarii, anno, ut ego existimo, 1153, seu bimestri fere spatio, postquam, teste Roberto de Monte eum Romanis pace facta urbem ingressus esset ibique cum eis... primitus Eugenius PP. commemoratur. *Modo nonnulla in hac Pontificias litteras observemus.*

tamen, uti patet ex Epistola Godescalci, Ep. Atrebatensis,

C 134 *Haud dubium quidem est, Dononienses a quibusdam de suæ Regulæ votorumque neglectu accusatas Romæ fuisse, habitasque pro indignis, quibus Apostolicam benedictionem suam Eugenius PP. impertiretur. At quantum ego ex subsequentis anno 1157 Godescalci, Atrebatensis episcopi, litteris colligo, vel monialium illarum leviora quædam delicta ultra modum exaggerata Romæ fuerint ab iis fortasse, qui in Dononiensi ecclesia canonicam præbendam sibi suisve cognatis postulantes repulsam passi fuerant: vel, si moniales nonnullæ ad sectanda vitæ secularis commoda nimium se proclives ostenderint, aut quotidianum Dei laudes in choro concinendi pensum in canonicos aliquot, non sine bonorum canobii imminutione in suam ecclesiam introductos, transtulerint; non diu certe hocce malum tenuit, tantumque adfuit, ut Godescalcus moniales illas sibi contumaces expertus fuerit, ut contra suis monitis mandatisque mire habuerit obsequentes, pompamque omnem secularem procul ab earum parthenone mox exultantem conspexerit. Ipsas Godescalci, Atrebatensis episcopi, quibus hæc mea opinio nititur, litteras, easque Dononiensibus perhonorificas ex cit. Collectio Octobris Tomus IV.*

ne Ms. tom. 6, parte 2 fol. 425 subjicere visum est.

135 *Sic illæ habent* : In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Ego Godescalcus, Dei gratia Atrebatensis episcopus, presentibus et futuris in perpetuum. Cum omnibus nobis subiectis, exigente pastorali sollicitudine, in his, quæ juste querunt, exhibenda sit pro posse benevolentia; illorum tamen supplicationi haud dubium, quin specialiter sit favendum, qui, SPRETIS SÆCULARIBUS POMPIS, PARTEM, QUÆ NON AUFERRETUR, ELIGERE MALUERUNT. Quapropter cunctis volo legentibus innotescat, quod venerabilis Berta, abbatissa Dononiensis, bono zelo inflammata, presentiam nostram adiit, et, ut in ecclesia sua nullum amplius in canonicatu posset statuere, nostro se imperio constringi atque auctoritate corroborari humiliter exoravit, causam hujus postulationis idonea satis ratione subnixam intimans, quia videlicet nonnullorum secularium et in secularibus præpotentium filiis suas præbendas dari cupientium, et in petendo vicissim sibi succedentium, dum assentire renueret, offensam incurrebat, adeo ut interdum ecclesiasticum negligere officium, dum quibus pace omnium præbendæ concedi possent, aut vix, aut nullatenus reperirentur. Quod, quamvis mentis intuitu id, quod scriptum est : \* HOMINIBUS FLACCENT, CONFUSI SUNT, assidue contempletur, non ignorat tamen, imo experimento didicit, quanta modernis temporibus religiosi quique ad hujus seculi filiis in temporalibus dumtaxat bonis detrimenta sustineant, si eos placare seu placatos habere contempnant.

136 Unde sapienti usa consilio petitioni suæ hoc quoque addere voluit, ut nostro assensu ac favore duos vicarios loco canonicorum tali tenore subrogare queat, quatenus si per eos vel propter eos aliquod scandalum aliquando (quod absit) emerit, illis amotis, alios libere substituere possit. Paci itaque atque utilitati, tam ejus, quam ecclesiæ, sibi commissæ, consulentes, precem ejus eo gratiori affectu suscepimus, quo a justo eam non deviare, imo vacare Deo cupientibus utilissimam fore adjudicavimus. Itaque assensu capituli nostri ac religiosarum personarum consilio ab ecclesia Dononiensi canonicos amovendos, adhuc superstitionibus ex hac luce subtrahendis, statuimus, viceque eorum duos vicarios constituere, ac, quoties justa occasio poposcerit, immutare in arbitrio abbatissæ jam dictæ ecclesiæ relinquimus. Quod ut firmum ac stabile in perpetuum, omni sopita jurgiorum occasione, conservetur, presentem paginam sigilli nostri impressione atque idonearum personarum subnotatione confirmari præcepimus. Signum Theodorici Ostrevandensis archidiaconi; S. Nicolai decani. S. magistri Frumaldi. S. Hugonis abbatis sancti Amandi. S. Fulconis abbatis Hasnoniensis. S. Gerardi abbatis de Casa Dei, quæ est in Viconia. S. Hermani, S. Hugonis canonicorum et presbyterorum. S. Gisleni diaconi. S. Herberti subdiaconi. Actum Atrebatim anno Dominicæ Incarnationis MCLVII.

137 *Hactenus Godescalci episcopi littera, quibus Bertam, Dononiensis parthenonis abbatissam bono pioque zelo fuisse inflammatam, moniales vero, spretis sæcularibus pompis, sub religiosæ vitæ Instituto Deo impense tunc vacasse, intelligimus. Verum, cum laudatus episcopus illud*

AUCTORE J. G.

quæ hic integra recitatur.

E

supple Qua

et qua in posterum omnino scandalo et jurgio præcavetur,

F

moniales illæ pie, sub Regula S. Benedicti, uti ex Alexandri III Epistola,

45 religiosæ

AUCTOR  
I. G.

*religiosæ vitæ Institutum nominatenus non expresserit, lubet, ut illud Benedictinum fuisse pateat, Alexandri PP. III litteras ex cit. Collect. Ms., fol. 423 verso hic recitare. Ita hæc sonant: Alexander episcopus, servus servorum Dei Dilectis in Christo filiabus abbatissæ et conventui monasterii de Dononio, ORDINIS SANCTI BENEDICTI, Atrebatensis diocesis salutem et Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus benignum impertientes assensum, auctoritate præsentium inhibemus, ut intra fines parochiarum vestrarum nullus, sine assensu diocessani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagninæ VIII Kalendas Julii Pontificatus nostri anno quinto,*

B  
cujus episcopa statutur,

138 *Atque ita quidem in cit. Collectione Ms. annus Pontificatus Alexandri III exprimitur; at pro anno quinto legendum esse: anno quinto decimo, vel inde conficitur, quod Pontifex ille, uti apud Pagium in Criticis ad annum Christi 1163 videre est, anno v Pontificatus sui non Anagninæ in Campania Romana, sed in Galliis versatus sit, contra vero Pontificatus sui anno quintodecimo, ad sex circiter menses protecto, Anagninæ degere cæperit, ibique ad ejusdem Pontificatus sui anni exitum, imo et diutius remanserit, uti ex Epistolis ejus 425 et seqq. ac 474 et 478, tom. 2 Collectionis Martenei col. 960, et 993, nec non ex laudati Martenei Observatione prævia col. 624 et 625 colligi datur. Denique ut de Benedictinæ Regulæ apud moniales Dononienses etiam post annum 1173 exacta observatione nullum prorsus moveri dubium queat, alias ejusdem Pontificis litteras subnecto, anno 1175 datas, quibus insignia prorsus suæ erga moniales illas benevolentix documenta præbet. Hisce verbis cit. tomo collectionis nostræ Ms. fol. 419 verso et seqq. conceptæ exstant: Alexander Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis in Christo filiabus, abbatissæ Dononiensis ecclesiæ ejusque sororibus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.*

C  
atque ex ejusdem Papæ diplomate, canonici possessiones confirmante, \* i. e. ei

139 Prudentibus virginibus, quæ, accensis lampadibus, obviam Christo Domino venire desiderant et sibi \* per opera charitatis humili devotione placere, tanto lubentius Apostolicum suffragium debemus impendere, quanto minus pro fragilitate sexus et assumptæ religionis proposito sua possunt jura tueri. Quapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam vestram, in qua divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Villam Dononii cum pratis, aquis et molendinis cum terris cultis et incultis, cum altari, decimis et terragiis,

cum servis et ancillis et universis possessionibus, quæ in ea continentur, et aliam villam, quæ dicitur Halcinis, aliasque complures, quas partim quod vitiose descriptæ sunt, partim, ne singulas recensendo prolixior sim, hic missas facio.

140 *Deinde ita Pontifex prosequitur: Sepulturam quoque ipsius (id est, in Dononiensi ecclesia) liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas præsumat exigere: cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis tinnibus \*, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Obsecro te vero te, nunc ejusdem loci abbatissa, vel tuarum qualibet succedentium, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quam sorores communi consensu vel sororem pars sanioris consilii secundum timorem Dei, et beati Benedicti Regulam providerint eligendam. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum \*, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate et diocessani episcopi canonica justitia.*

141 Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non presumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri, Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. *Hactenus Alexandri PP. III Bulla, xxiv Decembris anno 1175 edita, et ab octodecim Cardinalibus, teste Collectionis manuscriptæ auctore, signata, quæ demum apud ipsum hoc concluditur modo: Datum Anagninæ per manum Gratiani, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi notarii, nono Calend. Januarii, Indictione nona, Incarnationis Dominicæ anno millesimo, centesimo, septuagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Alexandri PP. III anno septimo decimo.*

142 *Hic me probatæ fidei monumenta deficiunt, quibus, an ab anno 1175 usque ad 1272, ac proin etiam sub regimine Mariæ abbatissæ Dononiensis, tom. 3 Gall. Christ. auctæ col. 423 ultimo loco recensitæ, illibata illic permanserint, religiosæ vitæ ex S. Benedicti præscripto norma, sat tuto edicere queam. At, siue sub annum 1250 eove citius Dononienses moniales strictioris Regulæ onus de cervicibus suis excusserint*

A *cusserint, ac vel jam tum non amplius montales, sed domicellæ ac seculares canonicæ dici voluerint; sive contra dumtaxat seculo xiv vel xv, ex jam pridem recepto apud Hannoniæ canonicas more, non nisi nobilium filias in suum admittere cœtum voluerint, quæ sui instar purpura et bysso, et pellibus griseis (verbis Jacobi de Vitriaco in Historia Occidentali cap. 31 utor) et aliis jocunditatis suæ vestibus indutæ essent, circumdatæ varietatibus cum totius crinibus, et ornatu pretioso circumamictæ, ut similitudo templi, ... pellibus autem agnibus quantumcumque subtilibus et delicatis utentes; utrumvis, inquam, horum admittatur; id equidem certum est, seculo etiam sexto decimo media nequum sui parte profecto, earum parthenoni Ordinis S. Benedicti, ipsis vero virginibus saltem Religiosarum nomen adhuc adhesisse, ut ex Statutis et Ordinatis regis, datis Bruçellæ anno 1546, tom. 4 Diplom. Belgic. Miræi pag. 301 videre est; quamquam tamen, prout ex eisdem Statutis eruitur, Dononiensis illæ virginis Religiosæ dictæ, jam tum pridem in communi vivere desiisse videantur, habuerintque ex adverso singula singulæ habitacula, præbendas ancillasque proprias, sic ut vel ab eo saltem tempore earum parthenon, veluti prænobilium puellarum seminarium refugiumque potius, quam veluti rite ex Ecclesiæ constitutionibus ordinatum cenobium spectari debuerit: quo in statu hodieque perseverat magno prænobilium Belgii familiarum solatio, nec minori ecclesiæ Belgicæ ornamento ob earum, quæ parthenonem illum incolunt, in decantandis Dei laudibus diligentiam, pietatem, modestiam, ceterasque virtutes, quibus nihil cedere eis debent, quæ Sanctimonialium stricte dictarum nomine gloriantur. His de Dononiensis parthenonis vicissitudinibus expeditis, reliqua, quæ ad Sanctæ nostræ cultum gloriamque posthumam conferunt, exponere aggredior.*

§ X. Antiquus sanctæ cultus etiam extra dioceses Cameracensem et Atrebatensem: Missæ Officium proprium ex Missali Cameracensi antiquo: miracula varia Sanctæ patrocinio patrata.

Sancta non tantum Dononii et in Castro-novo, sed etiam in Clivia,

N *on mediocrem Sanctæ Abbatisse nostræ cultum, primo quidem Dononii ante annum 850, dein ab anno circiter 933 usque ad annum verisimiliter 1037 in Novo-castro ad Axonam, ac deinceps in sui parthenonis præsertim ecclesia constanter delatum fuisse, tum ex laudato supra Dononiensi Breviario anno 1258 ecarato, tum ex iis, quæ chronologica, quantum fieri potuit, serie de Reliquiarum S. Ragenfredis ejusdemque cenobii vicissitudinibus in medium adduci, manifeste ostenditur. Verum, cum ecclesiastica ejus veneratio etiam extra Dononiensis ac Novicastro-strensis loci fines variis temporibus propagata, nec non Dononii rursus miraculis non paucis, et xvii demum seculo Officio ecclesiastico, ad normam Romani conformato, illustrata fuerit; vi-*

*sum est hic, quæcumque eo spectant, in unum colligere, quo sic fidem num. 2 datam liberem. Ab ecclesiastico cultu, in ducatu Cliviæ jam pridem S. Ragenfredi exhibitio, ævordium duco. Si Natalibus Sanctorum Belgii ex Molani schedis a Petro Louvio editis, laudatisque illic Gerardi Busæi, Canonici Xantensis, et Matthiæ Hostesii, pastoris Calcarie, litteris fides est, nonnulla apud Clivienses seculo xvi adhuc supererant monumenta, ex quibus ipsi colligebant, ecclesias suas, Embricæ, Resæ et in pago Houepell sub patrocinio B. Aldegundis, S. Dentlini, et S. Ragenfredis olim a religiosis Francis fuisse ædificatas vel dotatas, quibus summo studio fuit tunc temporis Christianismum ultra Rhenum ad Saxones ad paganismi sordes sæpius relabentes, extendere et propagare.*

144 Itaque, si modo satis antiqua disertaque sint laudata a Cliviensibus monumenta, paucis dumtaxat annis ab obitu S. Ragenfredis ecclesiastica ejus veneratio ad remolam a Dononio 50 circiter leucis Belgicis regionem propagata fuerit, nimirum vel paulo post mortem imperatoris Caroli Magni, cujus assensu Francorum quidam religiosi principes, hoc pacto, ne Saxones Occidentales seu Westphali, Christi legem antea edocti, ad ritum gentium relaberentur, prospicere voluerint, vel verisimiliter sub Ludovico Pio, aut Lothario imperatore, quorum ætate Saxones sat multi ad paganorum ritum proclives etiam exstiterunt, apud quos pii illi Franci religionem Christianam extendi firmarique optarint. Quocumque hæc se modo habeant, (nam quas, ut documentorum illorum notitiam nanciscerem, litteras ad Clivienses dedi, suo fructu caruerunt) equidem ex eisdem Natalibus Sanctorum Belgii laudatisque illis epistolis indubitatum videtur, S. Ragenfredem a Xantensi in Clivia canonicorum collegio Officio novem Lectionum jam pridem fuisse cultam, eamque Honepellensis pagi, ad sinistram Rhemi ripam haud procul Resa oppido siti, patronam esse, ubi quoque Dononiensis parthenon multa olim bona habuit aedesque monasterio similes, quæ omnia vicino capitulo Xantensi anno 1240 ab Ensilia, Dononiensis ecclesiæ abbatisa, ejusdemque conventu vendita fuere, ut patet ex litteris ejusdem Ensilie ejusdem conventus, quas, quod ad Dononiensis parthenonis historiam et ad Sanctæ nostræ gloriam posthumam quoque conferunt, integras huc e præfatis Natalibus Sanctorum Belgii, editiones anni 1595 pag. 220 et 221 huc transfero.

145 Sic habent: Universis paginam hanc visuris Ensilia, Dononiensis ecclesiæ abbatisa et ejusdem loci conventus, Atrebatensis diocesis, salutem in Domino. Notum facimus universis, quod nos bona nostra de Honepele (nunc Houpel et Houepell hic pagus vocatur) et de Hussen (forte Huyswarde prope Emmericam vel Huys prope Resam) cum omnibus suis attinentiis, terris, agris, pascuis, pratis, hominibus, memoribus, vineis et cum omnibus suis juribus ecclesiæ Xanthenis vendidimus. Quam pecuniam profitemur nos recepisse ad plenum, et ipsam pecuniam ad utilitatem ecclesiæ nostræ totaliter esse conversam. Et prædictorum bonorum dominium, quod nostra habebat ecclesia, in dictam ecclesiam Xanthensem unanimi consensu transtulimus, et in veram ac corporalem possessionem misimus, et hoc est factum de licentia et consensu diocesani nostri, nempe

ac vel a seculo 15, ut quidam volunt ubi et ejus parthenon

F

quidam bona olim possedit, ecclesiasticum cultum habuit,

pe

ARGUOR  
J. G.  
\* i. e. cau-  
tionem

pe Assonis ea: archidiacono Ostreandensi ad cathedram Atrebatensem anno 1231 erecti) Vuarandiam \* legalem super praemissa praestituta. In cuius rei testimonium praesentes literas sigillorum nostrorum munimine, videlicet sigillo meo ego Ensilia abbatissa et conventus sigillo capituli fecimus roborari. Actum anno millesimo ducentesimo quadagesimo. Haec sunt litterae illae, e quibus, teste Molano vel Loucio, dependet annexum filis sericis conventui Dononiensis sigillum, expressa distincteque has voces exhibens: Sigillum sanctae Ragenfredis virginis, cujus nempe nominis tituloque, veluti praeter ceteris sibi honorifico, iam dudum quoque ante, uti tom. 5 Miscellaneorum Baluzii pagg. 265 et 435 videre est, Dononiensis abbatia ejusque abbatissa plurimum gloriatae sunt.

cultaque etiam antiquitas fuit in diocesi Ultrajectina,

146 Nec vero in ducatu Cliviae dumtaxat, sed et in Ultrajectina diocesi, ante erectos seculo XVI novos in Belgio episcopatus per Zelandiam, Hollandiam, Transisalanam provinciam, Frisiamque tum Occidentalem tum Orientalem late extensa, S. Ragenfredis parem cum SS. Leodegario, duobus Ewaldis, Francisco Assisiate, Dionysio sociisque hoc eodem die VIII Octobris cultum antiquitus habuit. Docet id me Calendarium, quod penes nos est, ante annum 1232, uti ex adscripto recentiori manu S. Antonii Palavini, anno 1222 Superis rite adnumerati, die festo colligitur, exaratum, ad usum nempe ecclesiae Ultrajectinae, prout tum ex festis SS. Bonifacii, Odulphi, Lebuini et Radbodi, Jernis, Willibrordi aliorumque minio exaratis et ritu solemniter celebrari praecipis, tum ex ceterorum Coelitum, Ultrajectinae diocesi propriarum, religiosa accuratissimaeque natali singulorum die annuntiatione abunde evincitur. Hisce praeter Ultrajectinae ecclesiae Martyrologium circa annum 1138 conscriptum et num. 13 laudatum, consentit ejusdem ecclesiae Calendarium, anno 1374 exaratum, aliudque item sat vetus, Belgico idiomate ante 300 facile annos conscriptum; ea quibus sanctae Antistitiae nostrae cultus in satis remotas regiones propagatio antiquitasque dilucide patescit.

in Cameracensi vero Missam propriam habuit,

147 Redeo ad fontem, unde ejusdem Sanctae cultus latus dimanavit, nimirum ad dioceses Cameracensem Atrebatensemque, a seculo VI sine usque ad XI fere exitum, sub uno Cameracensi Antistite unitas. Quantum intelligi datur ex Breviario Cameracensi, castigatae satis et accurate correcto, et Parisiis... anno Domini MCCC. XXVII impresso, ea quo novem proprias de S. Ragenfrede Lectiones propria manu descripsit mihique humanissime transmisit multiplici eruditione non minus, quam senio venerandus Mutius, num. 2 et saepe alias in nostro Opere laudatus; haud dubium est, quin jam a non paucis seculis S. Ragenfredis natalis dies Officio ecclesiastico, et Missa quoque propria, quod ex Cameracensi Missali, pervigili cura recognito et Parisiis anno 1527. impresso, eruitur, celebratus fuerit. Imo vero, quam mirum videri potest, post Atrebatensis a Cameracensi diocesi sejunctionem, anno 1092 inchoatam, nullum hujusmodi cultum in priori diocesi, praeterquam in ipsa Dononiensi ecclesia, fuisse S. Ragenfredi impensum; tam certum videtur, non alia de causa in Cameracensi ecclesia Breviariis Missalibusque praescribi illum perrexisse, quam quod jam tum antiquo ejusmodi cultu ecclesiastico Sancta nostra Cameracensi affecta fuisset, priusquam hujus urbis antistiti Atrebatensis

diocesis, anno, ut dixi, 1092 subtraheretur propriumque recuperaret episcopum. Lectiones illas S. Ragenfredi proprias, quod quantum ad substantiam cum infra edendis Dononiensibus congruant, huc ex laudato Cameracensi Breviario non transcribo, solamque adeo propriam Sanctae nostrae Missam, utpote ab hodierna plurimum discrepantem, ex citato Missali recito. Ita haec habet:

148 Introitus: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar, et meditabar in mandatis tuis, que dilexi nimis. Ps. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Collecta. Omnipotens sempiternus Deus, solennitatis hodiernae gaudia sereno vultu respice, atque beate Ragenfredis merita humiliter prosequentes sub gratia tuae pietatis clemens attolle, ut, cujus festa recolimus in terris, ejus interventu muniamur in celis. Per Dnum. Epistola: Domine Deus meus (quae in hodierna Missali Romano est de communi Virginis Martyris.) Graduale: Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem. V. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiae Alleluia. V. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in eternum. Sequentia: Haec Sancta, cujus hodie celebrantur solennia,

Jam revelata facie Regem cernit in gloria.

Illic Regina virginem transcendens culmen ordinum.

Excuset apud Dominum nostrorum lapsus criminum.

Nos ad Sanctorum gloriam per ipsius suffragia Post presentem miseriam Christi perducat gratia. Amen.

149 Evangelium: Simile est regnum celorum decem virginibus. Offertorium: Offerentur regi virgines, proxime ejus offerentur tibi in letitia et exultatione, adducentur in templum Regi Domino. Secreta: Deus, cujus pulchritudine perhenni celestes virginum exornantur chori, ante placita sanctae Ragenfredis supplicantium preces exaudi, ut per ejus suffragium castitatem sectando, in astris secum \* mereamur habere consortium. Per Dnum. Communio: Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus. Postcommunio. Collecta: Interueniat pro nobis, quaesumus, Domine, sancta Ragenfredis suppliciter orando: que tibi gratis semper extitit sanctae castitatis obsequio et perseverantiae studio glorioso. Per Dnum. Ceterum, quae ex Cameracensi illo Missali modo descriptum Missae Officium idem omnino cum illo fuerit, quod antiquitus usque ad annum 1625 in Dononiensi ecclesia usitatum fuit, pro certo edicere nequeo, propterea quod sola Dononiensium Sanctorum Officia propria, eodem illo anno 1625 ad normam Romanam conformata, ad manum mitti sint. Ut ut id est, facile ex Cameracensi illo Missali conjiciet liturgiae studiosus lector, qualis in sacrosancti Sacrificii precibus jam pridem Dononii quoque S. Ragenfredis memoria habita fuerit.

150 Venio nunc ad miracula beneficiarum S. Ragenfredis sanctorumque ejus parentum patruncino Dononii impetrata ante seculi XVI exitum, quae laudatus num. 8. Arlotius tertia sua tabularum Gallo-Belgicae parte collegit. Horum aliqua vel ipso, vel certe vicino, quo scriptae in le Dononii debebat, tempore contigerunt, quorum adeo epocham accurate expressit; alio vero medio fortassis ante ipsum seculo patrata videntur,

A *tur, quo sincerus ille sacerdos suis epachis non distinguit, haud dubie idcirco, quod documenta, quae sibi praetulerat habuit, annum diemve, quo singula haec facta sint, praese non ferrent. Ab antiquioribus ad recentiora, contra ac laudatus scriptor fecit, ex ordine ego progredior, ut hoc pacto in exhibendis, quae ad Sanctae nostrae gloriæ posthumam conferunt, monumentis, chronologica, quantum res patitur, serie ad Commentarii finem usque procedam. Habe igitur illa ex rudi Gallo-Belgico Arlodii sermone Latine versa, seruate eodem simplici candidoque, quo ab eo conscripta fuerunt, stilo.*

Arlo dius, *cujus verba Latine dantur, recenset igneum globum, in ejus templo conspectum.*

151 *Ita ille: Die XXI Aprilis (annum haud dubie signatum non inveni) in ecclesia Dononiensi, in qua dominae ac domicellae Deo, B. Mariae Virgini, S. Aldeberto, S. Reginae et S. Ragenfredi famulantur, et in qua trium horum corpora existunt, grande contigit miraculum. Illo igitur die, postquam longissimo jam tempore sacra horum pignora ex S. Martini ecclesia Dononiensi ad ecclesiam Dononiensem, B. Mariae sacram, translata fuissent, nec tamen ante ea seu de die seu de nocte lucerna arderet, placuit Deo suae benignitatis indicium praebere, igneum de caelo globum demittendo, qui, ecclesiae tecto forniceque penetratis, at illensis, non exiguo temporis spatio pendulus in aëre ante sacra illa corpora arsit, quo daretur intelligi, aequum non esse, ut ante Sanctorum, quibus Deus caecas illuminandi aegrosque alios curandi potestatem dedit, tam pretiosas exuvias nulla unquam lucerna arderet. Quo viso prodigio, domina abbatissa ejusque domicellae (hoc nomine indicat Dononienses virgines abbatissae subditas) decreverunt, ut diu noctuque perpetuum ante ea sacra corpora cereus luceret, tum in salutem animarum, tum ad gloriam et honorem Dei, B. Virginis Mariae et sanctorum illorum corporum. Amen.*

152 *Narrat dein Arlo dius, quo pacto fur quidam, poenitentis habitu indutus et benigne Dononii receptus, quarto die nonnulla inde furto abstulerit ac deprehensus fuerit; qua de re, utpote sine prodigio fieri nata, plura ex Arlodio non describo. Plus admirationis habet, quod idem mox subjicit de altero quodam fure in hunc modum: Fur quidam noctu in abbatiam Dononiensem irrupit, et, effracta quadam capsula, nihil nisi frumentum reperit: mox, ut illud auferre nisus est, aes campanum, S. Ragenfredis nomini dicatum, sonitum sponte edit; quo audito, manus cohibuit fur, cessante aere campano, ad peragendum furtum ille recurrit; at demum repetito prodigioso illo sonitu deprehensus, tandem in furcam actus fuit. Alterius plane generis sunt, quae mox Arlo dius recenset totidem fere verbis Gallo-Belgicis. Faber quidam lignarius, nomine Regnier, in Dononiensi parthenone sub vespere operi suo festinus instabat, eum ex improvviso ascia ejus in unum e digitis prolapsa est, totumque fere praescidit. Is ergo cum e pellicula dependentem digitum conspexit, enixissime S. Ragenfredis, cui nempe juste fideliterque inserviebat, auxilium patrociniumque imploravit, statimque exauditus vidit sensitque se penitus sanatum, adeo ut sola superesset obducti vulneris cicatrix in peracti miraculi testimonium.*

153 *Junior quadam puella, cui nomen erat Jolendis, adeo contracta erat, ut digitorum unguis volam penetrarent, brachiaque pectus*

arcte constringerent, toto insuper corpore distorta erat. Huic de nocte apparuit S. Ragenfredis ac sciscitata est miseram, num sanari cuperet; quae cum reposuisset, se nihil in hoc mundo tam impense desiderare, subjungit Sancta: Age, fac te Dononium deferri ad sacras Reliquias, et sanaberis. Illa mox Sanctae paruit et postridie, qui dies Jovis erat, collocata ante sacra corpora, cepit aliqua corporis parte convalescere, die Veneris toto corpore se melius habuit, at brachia a lateribus necdum prorsus sejuncta erant; verum id factum est die Sabbati, sic tamen ut latera et brachiorum ossa auda cernerentur; ac demum die Dominico perfectissime ex omni parte S. Ragenfredis patrocinio sanata fuit. Mulier quaedam contracta nomine Havide, visu nocturno admonita, ut se Dononium ad sacras Reliquias deferri curaret, quod sibi injunctum erat, perfecit, et plenissime curata fuit, longo dein tempore in Dononiensi parthenone famulata est, gratias agens peremes gloriosis sanctis, quorum presidio tam gravi morbo liberata fuerat.

154 *Dononii puer quidam erat totus membrorum usu et vix non mente captus, qui ante S. Ragenfredis ejusque sanctorum parentum corpora collocatus, statim divina indulgentia et Sanctorum illorum meritis curatus fuit ac clero dein adscriptus est. Junior quaedam mulier, linguae usu destituta, cum audisset narrari insignia illa miracula, Dononium venit, et signis quid vellet, ostendit. Cumque Dononienses domicellae coram sacris reliquiis preces suas, uti ipsa faciebat, ad Deum fudissent, subito solutum est linguae ejus vinculum, cepitque illa laudare Deum sanctosque Dononienses, quorum patrocinio loquelam receperat. Mutam illam subsecuta est mulier quaedam caeca ab infantia sua. Haec, ut monita fuerat, novemdiales preces ad Ipsi-anthotheam S. Ragenfredis persolutura venit, ac visum integramque sanitatem sua in Deum Sanctosque pietate promeruit.*

155 *Puella quaedam Dononiensis, nomine Hersend, toto corpore distorta, cum nocturno visu admonita esset, ut in ecclesiam S. Ragenfredis deportari se curaret, quo sic suo malo liberaretur, ea adducta est die S. Benedicto sacra (seu XXI Martii.) Toto matutino tempore lacrymas precesque illic fudit, sed instante prandii tempore extra ecclesiam delata, ante hujus oclusas fores lachrymare perrexit, jam non sola, quia Dominus Deus cum ipsa erat. Finito prandio, cum domicellae (Dononiensis parthenonis canonissas hac voce ab Arlodio indicari, jam monui) ad ecclesiam revertenterent, aegram suam inviserunt, atque odorem aliquem, supra quam dici possit, suavem, illic perceperunt, ita ut singula Deum in eo loco singulari quodam modo adfuisse, profiterentur. Ceperunt igitur omnes unanimi voto Deum precari, ut meritis SS. Ragenfredis et Reginae corporis sanitatem aegra reciperet; moxque, eadem mirum hora, surrexit ipsa omnino sanata, Deum Sanctasque laudans; ac dein Dononiensi parthenoni famulam sese addixit, gratias Deo Sanctisque illis agens ad ultimum usque spiritum.*

156 *Erat in ipso abbatiae famulatio mulier quaedam, nomine Tresotte, feodo ulcere in collo humeroque laborans, quod arte medica curari nequiebat. Haec cum praefatam puellam conspexisset sanatam, confidit, fore, ut misericordiam*

AUCTORA  
I. G.

E  
pueri, membrorum usu capti, mulieris muta, alteriusque ab infantia caeca.

F  
puella toto corpore distorta.

F  
mulieris feodo ulcere laborantis, submersa puellae

AUCRORE  
J. G.

ricordiam inveniret. Quotidie ergo lipsanothecam S. Ragenfredis invisit pieque crebro attigit. Denique brevi SS. Ragenfredis et Reginae meritis pristinam recuperavit valetudinem, sic ut ne vestigium quidem aliquod tanti morbi remanserit. Junior quaedam puella, Dononii nata, filia Roberti Bataille, forte fortuna prolapsa est in cujusdam fontis aquas, ubi tamdiu permansit, donec evocata mater ejus adcurreret. Quotquot eo advenerant, puellam jam mortuam conclamabant; mater vero suae prolis sortem miserata, altari S. Ragenfredis eam pie imposuit; postque mediam horam cepit puella clamores edere, moxque sibi integræque valetudini meritis S. Ragenfredis restituta fuit.

visu et membris capta, alteriusque caecæ, et juvenis fulmine excæcati.

157 Mulier quaedam, famula prænobilis virginis de Landas, amisso omni corporis usu et visu, patrocinio meritisque S. Ragenfredis divinitus curata perfecte fuit. Sexennis quaedam puella, nata in pago Sausoit (*ad Sellam amnem hic jacet, tribus circiter miliaribus Gallicis Dononio distans*) octo decemve diebus visu destituta fuerat;

B hæc a patre suo, qui in pago illo scribam seu graphiarium agebat, (*ita enim vocem Gallo-belgicam clerico interpretandam hic censeo*) ad ecclesiam S. Ragenfredis deportata est, statimque post peractas novemdiales preces divinitus visum recepit patrocinio S. Ragenfredis, cui magna cum pietate oblata addictaque fuit. Juvenis quidam peccoris custos afflatu fulminis excæcatus, ad S. Ragenfredis Reliquias adductus fuit, moxque meritis ejusdem sanctæ Virginis visum recepit pleneque curatus est. *Hiscæ nonnulla subdit Arlodijs, quæ, quod ad Sanctæ nostræ ecclesiasticum ejusdem temporis cultum illustrandum conferunt, paucis hic memorabo.*

curacionem, cujus occasione aucta est pia in Sanctam veneratio:

158 *Ho igitur teste, cum juvenis iste divinitus curatus fuisset, abbatissa Dononiensis, eæ periculustri familia d'Ognies prognata, (nescio, an illa, cui Isabella nomen erat, quæque ab anno 1437 usque ad 1477 abbatissa fuit, an vero ejus soror) Responsorium, quod nunc septimum est Officii S. Ragenfredis et ab his verbis incipit: Filia Lucis, Hymnumque itidem Te Deum laudamus decantari jussit, dum interim grandiora abbatissæ pulsarentur tintinnabula; quod et deinceps, quotiescumque in Dononiensi ecclesia miraculum fieret, observatum fuit. Mos item, eodem teste, invaluit,*

C *ut per Octavam festi Sanctorum Dononiensium, ac nominatim S. Ragenfredis, quotidie ter concineretur Responsorium Filiae Lucis, et Antiphona ad Magnificat, festo S. Reginae recitari solita, alique nonnullæ, quas hic prætermitto. Accessit et solemnissimum Dononiensium virginum ad ecclesiam S. Martini supplicatio et religiosa sepulcrorum S. Ragenfredis ejusque parentum exosculatio, ut sic eximiam suam erga Sanctam nostram ejusque parentes pietatem gratumque de impetratis eorum præsidio miraculis animum Dononienses virgines palam testarentur.*

inter recentiora vero miracula narrat, prolem vitæ redditam, caecum illum illustratum.

159 *Accipe nunc cetera miracula, quæ a præfato Arlodio suis epochis vel sat prope vel exactissime expressa fuerunt. Anno Christi MDXII (stilo hodierno 1513) xxx Januarii, quæ dies Dominica erat, uxor scribæ Dononiensis geminam peperit prolem, at alteram ex his præmortuam. Hæc ante S. Ragenfredis Reliquias collocata eodem die sub medium tertiæ pomeridianæ, sine ullo vitæ indicio permansit usque ad diem Lunæ horam circiter undecimam nocturnam; at demum divina benignitate ac beatissimæ Virginis Mariæ*

sanctæque Ragenfredis patrocinio proles illa tri-  
um horarum spatio vitæ signa præbuit, atque ab obstetrice coram multis adstantibus in eadem ecclesia baptizata fuit. Vir quidam Valentianensis annos natus LV, a longo tempore caecus, duci se a juvene filio voluit ad S. Ragenfredis ecclesiam, sistique ante ejusdem Sanctæ aram. Illic ab exordio horæ ecclesiastici Officii, cui Prima nomen est, usque ad solennis Sacri finem permansit. Persolutis precibus, cum eum juvenis more solito ex ecclesia domum manu ducturus erat, respondit vir: Laus sit Deo sanctæque Ragenfredi! Ecce, sine alicujus ductu domum repetere possum, digitoque viam, qua olim ad ecclesiam venerat, ostendit, ac demum elapso medio anno cereum S. Ragenfredi obtulit, quo se de recepto divinitus visu gratum præberet. Contigit autem hoc grande miraculum anno MDXXVIII.

160 Juvenis quidam, cognomento Pelin Pourée, natus in pago Sausoit (*de ejus situ vide dicta num. 157*) uno jam fere mense visum amiserat; hunc parentes ad ecclesiam Dononiensem S. Ragenfredis deduxerunt, ac dein novem dierum spatio reliquerunt apud consanguineos, qui eum quotidie stiterunt coram sacris Reliquiis. Et ecce, antequam novemdiales preces completerentur, Dei benignitate meritisque S. Ragenfredis visum is recipit. Ab hoc ergo die a parentibus suis addictus fuit pio S. Ragenfredis sodalitie, ac deinceps quotannis die festo ejusdem Sanctæ sua vota persolurus Dononium venit ad annum usque MDXXXVIII, quo vita functus est. Puer quidam, nomine Willelmus Carboneau, filius Paschasii Carboneau, oculo uno tam graviter laborarat, ut omnes eum intuentes deperditum conclamarent, præsertim cum longo jam tempore nihil plane eo discernere potuisset. Igitur præfatus Paschasius Carboneau ejusque uxor Joanna Houllonne filium suum pio, quod a S. Ragenfrede nomen habet, sodalitie adscribi curarunt, ac mox ille post peractas una cum parentibus novemdiales preces meritis S. Ragenfredis perfecte curatus fuit, totoque vitæ spatio Dononii, qui locus ei natalis erat, sartorem egit, defunctus demum mense Augusto anni MDXXXVII.

161 Puer quidam, cognomine Hotuma, natus in pago Tritz (*seu, ut nunc vocari solet, Try*) oculorum usum amiserat; hic ad Dononiensem S. Ragenfredis ecclesiam deductus, post binas novemdiales preces nulla sui mali parte levatus fuerat; permansit tamen Dononii, donec tertio preces illas persolvisset; cum divina clementia, Sanctorum Dononiensium meritis ac nobilium canonissarum precibus subito visum recepit, ac, quamdiu vixit, plene servavit. Toto item vitæ tempore sodalitie S. Ragenfredis addictus mansit, et ad meliorem vitam evocatus demum est anno MDXXXVIII. Mulier quaedam Dononiensis, nomine Antonia Forette, uxor Gadonis \* Cathonnet, sartoris Dononiensis, in platea, cui vulgo nomen de Paris est, habitantis, jam quindecim circiter dies caeca fuerat, et, si quo ire vellet, suæ filiae ductu agebat. Igitur novem dierum spatio ad S. Ragenfredis ecclesiam deduci a sua filia voluit, ac cereo ante princeps altare, in quo S. Ragenfredis reliquiae quiescunt, accenso, supplicantis ritu illud circumivit, quibus peractis, divina clementia meritisque sanctæ virginis Ragenfredis

A genfredis ita perfecte oculorum aciem recepit, ut nullius in posterum ductu opus habuerit. Contigit autem hoc miraculum anno MDXLI.

*puellam  
item cæcam,  
et infantem  
visu destitu-  
tam, divi-  
nitus cura-  
tos fuisse,*

162 Sub finem mensis Septembris anno MDLXIV filia cuiusdam Joannis, cognomento PATRE NOSTRE, medio ante anno nata in Haspre (*pagus hic ad Sellam amnem adjacet distat Orientem versus*) ad ecclesiam S. Ragenfredis deportata fuit, cum infortunio quodam visum amiserat. Hæc, S. Ragenfredi oblata, mox hujus patrocinio visum recepit, ut novendiale pietatis officium pro ea peractum fuit. Alia quædam infans, decem mensibus nata in pago Werchin, (*uno circiter milliari hic pagus a jam mox memorato distat Orientem versus*) pridie festi S. Lucæ (*seu XVII Octobris*) anno MDLXVI in ecclesiam Dononiensem delata est, postquam tribus hebdomadis oculorum usu destituta fuerat. Hæc statim atque S. Ragenfredis reliquias deosculata fuit, cœpit aperire oculos ac meritis intervenitque predictæ Virginis curata fuit.

*et prolem  
præmor-  
tuam visu  
restitutam  
et baptiza-  
tam.*

B 163 Mulier quædam Dononiensis, uxor Joannis Gulot, uno partu duos pueros vivos aliumque præmortuum enixa est. Hoc ut rescivit mater, cœpit orare S. Ragenfredem, jussitque ad hujus ecclesiam deferri infantem mortuum ejusque aræ imponi, magna comitante indigenarum turba. Et ecce, cum medio circiter die eo loco jacuisset infans, redditus vitæ est et coram æstantibus baptizatus anno MDLXXIII die XV Maii. Ita hactenus laudatus Arlodus, ecclesiæ Dononiensis S. Ragenfredis presbyter Sacellanus, de cujus fide vide dicta num. 150.

*Arlodinar-  
ratio par-  
tim elucidat-  
tur.*

C 164 Porro quod ad memoratum ab eo S. Ragenfredis pium sodalitiū precesque novendiales supra laudatas attinet et illud modo subsistit et hæc hodieque in usu sunt, uti ex ipso ejusdem ecclesiæ ædituo intellexi, maximeque frequentantur ab iis, qui quocumque oculorum morbo vel febris affliguntur. At vero non sic, ut Arlodii ætate, S. Ragenfredis æcviæ in solo principe altari hocce tempore quiescunt; sed contra sacrum ejus caput in altari minore, sed insigni et splendido, quod parthenonis ecclesiam intrantibus ad sinistram est ac prope nobilium canonissarum chorum, in pretiosa theca, capitis humani formam gerente, fidelium venerationi expositum est; ceteræ autem ejus corporis partes in magnifica admodum lipsanthea argentea requiescunt, cujus iconismum nostro calceographo ære exprimentum lubentissime delissem, si, uti expectaveram, transmissus in tempore ad me fuisset.

## § XI. Proprium Sanctæ officium ad hunc diem ex Breviario Dononiensi, anno MDCXXV edito. Cur adjunctus abbatissarum Dononensium catalogus.

*Officii dupli-  
cis primæ  
classis ad  
Vesperas An-  
tiphona et  
Capitulum,*

Quod Sollerius noster tom. I Julii pag. 269 in suo de S. Regina Commentario fecit, id ego in hoc meo imitandum censeo, hincque, ne quid, quod ad Sanctæ nostræ cultum illustrandum conducit, hagiophilis subtraham, ex eodem Dononiensi Breviario, anno 1625 ad normam Romani confirmato, ex quo Sollerius S. Regine Officium recensuit, ego itidem sanctissimæ hujus S. matris Filie Ragenfredis ecclesiasticum ad hunc diem Officium huc transcribam, sic tamen, ut eorum omnium, quæ in illo adstruuntur, me vadem haberi nolim; ut contra, quæ a me disputata ante sunt, consuli expendique enice postulem. En modo illud:

### DIE VIII OCTOBRIS

#### In festo S. Ragenfredis, patronæ Dononiensis. Duplex primæ classis.

A d Vesperas Antiphona: MIRABILIS DOMINUS cum reliquis de Laudibus. Psalmi de communi Virginium, nec fit in primis Vesperis ulla commemoratio S. Birgittæ.

#### Capitulum.

Fratres, qui gloriatur, in Domino gloriatur: non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

#### Hymnus.

166 Jesu, redemptor omnium,  
Perpes corona virginum,  
Intende votis supplicium  
Te digne postulantium.

Fatemur corde debita  
Laudum tibi magnalia,  
Festa decenter Virginis  
Piis canentes gaudiis.

Hæc Ragenfredis inclyta  
Tua repleta gratia  
A flore primi temporis  
Exempla sancta præbuit.

Propaginem, quam traxerat  
A dignitate regia,  
Honestamorum præmiis  
Nobilitavit optimis.

Laus, honor, virtus, gloria  
Deo Patri et Filio  
Una cum sancto Spiritu  
In sempiterna secula. Amen.

f. Specie

LECTOR  
J. G.

ŷ. Specie tua et pulchritudine tua,  
R. Intende, prospere procede et regna.

ad Magnificat  
Antiphona  
et Oratio.

167 *Ad Magnificat Antiphona.*

Magnificet te, summe Deus, devotio plebis ad  
laudem nominis tui celebrans festa beatissimæ vir-  
ginis Ragemfredis, Alleluia.

*Oratio.*

Omnipotens, sempiternæ Deus, solemnitatis ho-  
diernæ gaudia sereno vultu respice, et beatæ Ra-  
gemfredis merita humiliter prosequentes, gratia  
tuæ pietatis clementer attolle: ut, cujus festa  
celebramus in terris, ejus interventu muniamur  
in caelis. Per Dominum nostrum.

ad Matu-  
tinum Invi-  
torium,  
Antiphona,  
Lectiones  
primi No-  
cturni,  
B

168 *Ad Matutinum Invitatorium.*

Christo, regi virginum, jubilemus, \* Qui bea-  
tam Ragemfredem sempiterno decoravit præmio.  
*Psalm.* Venite. *Hymnus, ut in primis Vesperis.*

*In primo Nocturno Antiphona.*

Admirabile est, Domine, nomen tuum atque  
laudabile, cujus munere virgo Ragemfredis in fide  
semper studuit proficere. *Psalm.* Domine, Domi-  
nus noster.

*Antiph.* Præceptum tuum, Domine, lucidum,  
illuminans oculos, quod custodivit beata Ragem-  
fredis, virgo tibi devota. *Psalm.* Cæli enarrant glo-  
riam Dei.

*Antiph.* Ad montem Domini ascendit in-  
nocens et mundo corde. *Psalm.* Domini est  
terra.

ŷ. Specie tua. R. Intende.

*Lectiones primi Nocturni.*

De Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corin-  
thios: De Virginibus præceptum Domini non ha-  
beo. *Ut in communi Virginum.*

*Responsorium primum.*

C  
Respon-  
soria tria ejus-  
dem Noctur-  
ni.

169 Veneranda Christi virgo Ragemfredis, ex no-  
bili Francorum genere orta, \* Dignitatem nativæ  
originis honestate morum atque operum claritate  
nobilavit. ŷ. Quæ regiam celsitudinem pro  
nihilò ducens, spreto mundanæ gloriæ gaudio,  
Dignitatem.

*Responsorium secundum.*

Ferventi spiritu beata Ragemfredis Domino  
serviebat, \* Et orationum studiis semper dedi-  
ta, sacris vigiliis insistebat. ŷ. Spe gaudens, fi-  
de fulgens, gemina dilectione pollebat. Et ora-  
tionum.

*Responsorium tertium.*

Erat benigno animo et moribus conspicua, \* Pru-  
dens et pudica. ŷ. Aspectu decora, et in sanctis  
actibus fulgebat gloriosa. Prudens. Gloria Patri.  
Prudens.

170 *In secundo Nocturno Antiphona.*

Propter veritatem, mansuetudinem et justi-

tiam Dominus omnium dilexit eam, et con-  
cupivit decorem illius. *Psalm.* Eructavit cor  
meum.

*Antiph.* Sponsam sibi Christus eligens, castita-  
tis decore consecravit, et Altissimus templum  
suum sanctificavit. *Psalm.* Deus noster refugium  
et virtus.

*Antiph.* Hæc virgo sancta et gloriosa, quia Do-  
minus omnium dilexit et suscepit eam. *Psalm.*  
Magnus Dominus et laudabilis.

ŷ. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus, non commovebitur.

*Ec Vita ejusdem.*

171

*Lectio iv.*

Beata Ragemfredis, virgo sancta, ex nobili Fran-  
corum genere orta, patre videlicet beato Aldeberto,  
comite Austroviandæ, et matre sancta Regina,  
nepte Pippini regis (*vide dicta num. 36*) digni-  
tatem nativæ originis morum honestate atque  
operum sanctorum claritate nobilitavit. Hæc enim  
regiæ celsitudinis altitudinem pro nihilò du-  
cens, spreto mundanæ gloriæ gaudio caduco  
et in perditionem animas ducente, humilitate  
mentis et habitu fideliter Deo servire disposuit.  
Immaculatam itaque se custodiens ab hoc se-  
culo, hostiam vivam, sanctam et Deo placentem  
Christo exhibuit.

*Responsorium quartum.*

Ragemfredis, beatissima virgo, in Domino lux  
effecta, extollendo manus suas in Sancta \* Ut filia  
lucis ambulabat. ŷ. Abjecto opere tenebrarum, il-  
lustrata flore virtutum. Ut filia.

*Lectio v.*

172 Cum igitur parentes ipsius ex rebus sui  
juris cellam monasterium Dononii ad Scaldim  
(*vide potius dicta num. 42*) in honorem Dei Ge-  
nitricis, itemque alteram in honorem sancti Martini  
construi fecissent, ipsa eidem monasterio præfecta,  
induta sanctæ professionis vestimentis monialibus  
(*adi disputata toto § iv*) servire Domino sedula in-  
tentione cordis maluit, quam ut seculi male blan-  
dientis illecebris irretita, astu diabolice fraudis,  
lapsus incurreret virtutum, ac sic demum infernalibus  
deveniret in barathrum. Providentia siquidem divi-  
næ dispositionis illam ante mundi exordia servare  
disposuit et gratia sua prælegit.

*Responsorium quintum.*

Accinxit Sponsa Christi lumbos suos fortitu-  
dine et brachium suum roboravit, \* Vigena et  
merito castitatis et operatione virtutis. ŷ. Divinæ  
complacuit majestati grata persistens. Vigena et  
merito.

*Lectio vi.*

173 Eandem ergo in sponsam sibi gratam et  
acceptabilem assumens, ad multorum exten-  
plum et salutem æternæ felicitatis capiendum,  
splendore castitatis irradiavit. Quæ ipsius sponsi  
sui, Domini videlicet Jesu Christi, thalamum be-  
nevolentibus virtutum aspergens aromatis, an-  
gelorum in supernis societatem promeruit: San-  
ctorum

**A** etorumque civium tripudiis adscita, munda corde et corpore, facie ad faciem divinæ majestatis inenarrabiliter Deitatem conspiciet: et humiliter ac digne penitentibus in terra intercessionis sanctæ gratiam jugiter impertit.

*Responsorium sextum.*

Cælestis sponsus sacramentum Ragemfredem virginem gratia sua prælegit, in sponsam sibi acceptam elementer assumens, \* Atque ad multorum exemplum castitatis splendore irradiavit. *ŷ.* Decore sanctitatis insignitam Dominus omnium dilexit eam. Atque ad multorum. Gloria. Atque ad multorum.

*In tertio Nocturno Antiphona.*

*terti Nocturni Antiphona*

174 In virginitatis Deo dicata proposito canticum novum gratanter cantabat Christo. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum, cantate.

**B** *Antiph.* Custodivit Dominus animam ejus et de manu peccatoris liberavit eam: unde exultans in Deo, confiteri studuit memoriæ sanctificationis ejus. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet terra.

*Antiph.* Choris sacrarum virginum juncta in conspectu Domini jubilando, dulcia canit cantica, alleluia. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum.

*ŷ.* Elegit eam Deus et prælegit eam.

*ŷ.* In tabernaculo suo habitare facit eam.

*Lectio VII.*

*et Lectiones cum Responsoriis.*

175 Homilia sancti Gregorii Papæ, in *Evangelium*: Simile est regnum cælorum decem virginibus; ut in communi *Virginum, cum duabus sequentibus Lectionibus.*

*Responsorium septimum.*

Filia lucis æternæ, beata Ragemfredis, deificum lumen cœlitus impetra tuis, \* Quæ sanctam illuminasti Avam lumine mentis et corporis. *ŷ.* Inter prudentes virgines accende tuis sponsales lampades. Quæ sanctam.

**C**

*Responsorium octavum.*

Cælestis gemma Ragemfredis, feliciter peracto cursu divinæ peregrinationis, \* Hodie percipit, quem meruerat, fructum virginitatis. *ŷ.* Inter spinas mundi ornata floribus cœli, exiens obviam sponso, accensa lampade cum oleo. Hodie percipit. Gloria. Hodie percipit.

*Post nonam Lectionem.* Te Deum laudamus.

AD LAUDES

*Et per horas Antiphonæ.*

*ad Laudes Antiphonæ*

176 Mirabilis Dominus in excelsis Ragemfredem virginem salvam fecit in regnum suum cæleste. *Psalm.* Dominus regnavit. *Cum reliquis.* *Antiph.* Introivit prudens Virgo in conspectu ejus in exultatione, ubi cum Sanctis exultans in hymnis confitetur illi. *Antiph.* Adepta est gaudia sempiterna, cooperante Christi gratia, et videt virtutem et gloriam ejus. *Antiph.* Benedictus Octobris Tomus IV.

Dominus, qui sanctam Ragemfredem benedixit benedictione spirituali, cum electis suis in cœlestibus. *Antiph.* Laetatur in rege suo et gloriosa refulget candidatis virginum choris conjuncta in ecclesia Sanctorum.

*Capitulum, ut in primis Vesperis.*

*Hymnus.*

177 Caduca seculi culmina

Calceavit atque noxia:

Virtutis arcem scandere

Curavit devotissime.

Sponso decore gloriæ

Conjuncta nunc in æthere,

Cœlestibus mysteriis

Potitur jam cum angelis.

Hujus Beatæ munere

Deposcimus piissime,

Dimitte nobis omnibus

Delicta, quæ commisimus.

Ut post labores seculi

Vitæ fruamur gaudiis,

Quæ præparas fidelibus

Æternis in cubilibus.

Laus, honor, virtus, gloria

Deo Patri, et Filio

Una cum Sancto Spiritu

In sempiterna secula. Amen.

*ŷ.* Diffusa est gratia labiis tuis.

*ŷ.* Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Ad Benedictus Antiphona*

178 Beata virgo Ragemfredis immarcessibilem æternæ vitæ coronam percipere meruit, quam præparavit Deus diligentibus se, alleluia.

*ad Benedictus et ad minores Horas Antiphonæ*

*Ad Tertiam Antiphona.*

Introivit prudens. *Capit.* Fratres, qui gloriatur. *Resp. breve.* Specie tua et pulchritudine tua. *Ut in communi Virginum.*

*Ad Sextam Antiphona.*

Adepta est gaudia. *Capit.* Æmulor enim vos. *Resp. breve.* Adjuvabit eam Deus. *Ut in communi Virginum.*

*Ad Nonam Antiphona.*

Laetatur in Rege suo. *Capit.* O quam pulchra est casta generatio. *Resp. breve.* Elegit eam Deus. *Ut in communi Virginum.*

*Ad Vesperas Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis.* *ŷ.* Diffusa est gratia.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Æterno Regi Jesu Christo dilecta in astris, virgo sancta Ragemfredis apud ipsum pro nostris erratibus intercede.

*Et postea fit commemoratio S. Dionysii et Sociorum ejus martyrum.*



AUCTORE  
J. G.

## MISSA

DE S. RAGENFREDE.

## Introitus.

179 Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Ragemfredis virginis, de cujus solemnitate gaudent angeli, et collaudant filium Dei. *Psalm.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

## Oratio.

Omnipotens, sempiternus Deus, solemnitatis hodiernæ gaudia sereno vultu respice, et beatæ Ragemfredis merita humiliter prosequentes gratia tuæ pietatis clementer attolle: ut, cujus festa celebramus in terris, ejus interventu muniamur in cælis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

B Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Fratres: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. *Ut in communi Virginum in Missali Rom.*

180 *Graduale.* Specie tua et pulchritudine tua: intende, prospere procede, et regna. *ÿ.* Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluia, alleluia. *ÿ.* Ecce prudens virgo migravit ad Christum, fulget inter choros virginum, sicut sol, in vita æterna.

## Sequentia.

Virginis egregiæ Ragemfredis hodie celebret solemnitas  
 Populus Dononii, plena quoque gaudii resonet ecclesia.  
 Clericorum turmula virginumque modula voce psallat eia.  
 Et ex corde proferat, quod ore vociferat, concrepans melodia,  
 Aldebertus inclytus genuit hanc, genitus Francorum prosapia  
 C Et Regina genitrix hujus fuit alitrix lactis alimonia.  
 Hujus ergo Virginis, quisque sui criminis defrensus contagia,  
 Accurate psallere tentet, atque promere virtutum magnalia.  
 Dum ætate floruit, carnem suam domuit mira parcimonia,  
 Caput orbis petiit, dum oratu rediit, turba secum prævia,  
 En præfecti filius illi fertur obuius, ductus insolentia;  
 Cujus pulchritudinem miratur, et virginem ignorantem talia  
 Mulcet et alloquitur, fovet et amplectitur, nec tamen evincitur ejus sanctimonia.  
 181 Aggreditur osculo semel, bis, ter, sedulo: sed vidente populo fiunt mirabilia.  
 Mentum hæret scapulæ, Christi vero famulæ subvenit clementia.  
 Sic peractis omnibus, potens in virtutibus, rediit ad propria.  
 Posthæc ut emarcuit, ægra lecto corruiat, corpus terræ tribuit, spiritus in gloria

Fulget ante Dominum inter choros virginum et a patre luminum vera sumit gaudia.  
 Ecce virgo nobilis cæca, miserabilis venit ad suffragia  
 Hujus sacre virginis: illa statim luminis reddidit officia.  
 Imploranti clerico compilat hydropico ventris faintantia:  
 Et furantem triticum manifestat rusticum mole per indicia.  
 Adest mulierculæ sonus vocis querulæ, dicens: Lucis filia:  
 Miserere miseræ, mihi membra prope sanentur debilia.  
 Reparat artificis os et nervos pollicis obruncatos ascia.  
 Post virtutes ceteras sacra muti reseras os egenæ facundia.  
 Eja virgo celebris, mortis ab illecebris transfer ad palatia  
 Summi Patris, Filii, nos, qui summi gaudii querimus solatia.  
 Et qui tibi psallimus, veniamque petimus, voce cordis sedula.  
 Fac, cum Dei Filio victus ut edulio vescamur in secula. Amen. Alleluia.

## Evangelium.

182 Simile est regnum cælorum decem virginibus. *Ut in communi Virginum.*  
 Et dicitur Credo.

## Offertorium.

Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

## Secreta.

Munera populi tui, quæsumus, Domine, acceptare digneris: et per ea, intercedente beata Ragemfreda virgine tua, famulantium tibi preces clementer exaudi. Per Dominum.

## Communio.

Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

## Postcommunio.

Interveni pro nobis, quæsumus Domine, sancta Ragemfredis suppliciter orando, quæ tibi grata semper exstitit et merito castitatis, et tuæ professionis virtutis. Per Dominum.

183 *Ex laudato num. 165 Dononiensi Breviario, seu Officiis propriis peculiarium Sanctorum abbatialis ecclesiæ Dononiensis, ad normam Breviarii Romani conformatis, unde totum illud ecclesiasticum S. Ragemfredis Officium desumptum est, cetera, quæ ad rem nostram faciunt, recensere pergo. Quod ad recitatum Missæ officium attinet, notat pag. 59 ejus editor, eandem Missam dici posse in Elevatione et Translatione sanctæ Ragemfredis, nimirum die 2 Septembris et 22 Junii. Ad diem vero 19 Octobris, qui Octavæ solennitatis præcipuæ secundus est, in eodem Dononiensi Breviario Officium de sanctis Dionysio et Sociis, in secundis vero Vesperis Officium de Octava, incipiendum a Capitulo cum commemoratione*

A tione ditorum Sanctorum præscribitur, ac denique ad diem x ritu semiduplici Officium de S. Ragenfrede, uti in ipso festo, præter tamen Lectiones primi Nocturni, quæ sunt ex Scriptura, ut vocant, occurrente, præterque secundi Nocturni Lectiones, ex Vita S. Ragenfredis seu memorata jam sæpe Legenda desumptas; quas, quod præter attributam ei peregrinationem Romanam et elogia quædam, omnibus fere sanctis Virginibus communia, nihil memoratu dignum contineant, prætermitti hic æque posse censui ac ceteras omnes per octavam, aliunde haustas, et cunctis virginibus facile adaptandas.

Car abbatissarum Dononiensium catalogus hic edatur.

184 Ceterum, etsi quidem aut nihil aut parum ad ecclesiasticum Sanctæ cultum gloriamve ejus posthumam faciat, quo tempore quove ordine, quæ post S. Ragenfredem floruerunt, condito ab hac Dononiensi parthenoni abbatisse præfuerint, harum tamen, tum quæ quoquo modo sanctæ Patronæ ac Fundatricis suæ cultum promoverunt, tum et ceterarum omnium, quæ ei in abbatiæ regimen successerunt, chronologicam, quam ut potui, digessi, seriem publici juris facio, tum quod altera, quæ tomo 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 423 edita fuit, multo accuratior pleniorque existat, utpote partim ex recensitis hocce Commentario documentis, partim ex Catalogo quodam Ms., mihi a laudato jam sæpius amplissimo Domino Muttio humanissime subministrato, de prompta ordinataque; tum etiam quod eam non paucis historiæ Belgicæ studiosis lectoribus tanto gratiorem fore, confidam, quo minus nota aut expectata, quoque magis prænobilibus quibusdam Belgicæ familiis honorifica utilisque fore mihi videtur.

Dononiensem abbatissam gubernavit S. Ragenfredis et B. Ava.

185 S. Ragenfredis, seu Ragenfredis B. Aldeberti et S. Reginæ, Ostroandæ comitum filia, Dononiensis parthenonis, ut Caroli Calvi diploma, a num. 86 Commentarii editum, et Baldericus in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib. 2 cap. 28 testantur, fundatrix et abbatisa, de cujus regimine consulendus hic Commentarius, præsertim § III et seqq. Præfuit parthenoni ab anno circiter 780 usque ad annum circiter 805. Ex dictis § III, IV et V.

B. Ava videtur etiam annumeranda Dononiensibus abbatissis, utpote quam S. Ragenfredis præcessit in regimine, teste anonymo Dononiensi seculi XI scriptore, num. 118 Commentarii laudato, qui ex parthenonis authenticis documentis aut saltem ex probanda traditione rem hanc intelligere potuit; qua in re ei consentiunt Arlo dius supra laudatus, Arturus a Monasterio in suo Gynæceo aliique. Hæc genere nobilis, fide venerabilis, prædiorum abundantia et multarum opum affluentia spectabilis, (adi Commentarii hujus numm. 82 et 83) omnem sui juris suppellectilem ad sepulcrum sanctæ Ragenfredis attribuens, Dononii ecclesiam sanctæ Mariæ virginis ampliari et multiplici apparatus decore meliorari fecit. Beatas quoque reliquias ejusdem Ragenfredis in prædictam ecclesiam transferri curavit. Hanc Daniël Papebrochius tom. 3 Aprilis pag. 628, seculo nono, aliquo usque propecto, püssime obisse, recte statuit.

Ermentrudis et Fredesendis.

186 Ermentrudis, nobilis quidem genere, sed nobilior moribus et Regulæ disciplina, instaurato partim, qui Normannorum furore anno 880 dirutus fuerat, parthenoni Dononiensi anno, uti videtur, 1029 præesse cepit, primaque fuit abbatisa sanctimonialium Benedictina-

rum, quæ consilio Gerardi I, episcopi Cameracensis, et Leduicini, abbatis Vedastini, nec non opera et auctoritate Balduini, Pulchro-barbi dicti, canonicis suffectæ fuerunt. Ex dictis § IV et VII. Non videtur præfuisse cœnobio multum ultra initium anni 1035. Ex Commentarii hujus numm. 109, 111 et 123. Res ecclesiæ Dononiensis avari secundo successu et puellas nobili procreatas genere educavit et erudit in timore Domini. Ex num. 106.

Fredesendis seu Fredescendis, ætate etiam junior, sed grandæva moribus, ac indolis nobilissimæ, ut anonymus Dononiensis ei coævus narrat, Dononiensem locum, quem anno, uti videtur, 1035 regendum susceperat, in omnibus ad meliorem statum reduxit; Vitam S. Reginæ eique permixtam S. Ragenfredis Vitam describi præcepit, ac corpus Sanctæ nostræ, suæ ecclesiæ diu ante sublatum, Dononio restituit. Ex dictis § I, § VII et VIII. Fabricari jussit scrinium ex auro et argento, in quo debita veneratione recludi curavit S. Ragenfredis corpus, quod medio statuit loco inter S. Reginam et inter B. Acam. Ex § VIII num. 118. A nobilissima Flandriæ comitissa, nomine Adela, assumpta fuit ad regendam Messinensem prope Ipras abbatiam, sic tamen, ut Dononiensis parthenonis regimen non deposuerit. Ex Commentarii hujus numm. 109 et 110. Benedictini scriptores tomi 5 Galliæ Christianæ auctæ col. 342 Frisildem et Faisildem vocant, asseruntque, vivere desiisse anno 1075. Quadraginta igitur annis abbatisse munere functa fuerit.

187 Maria, abbatisa venerabilis congregationis Beate Ragenfredis virginis, Dononiensis monasterii, memoratur in diplomate Roberti, Atrebatensis episcopi, anno Christi 1118 edito, quod videtur num. 129. Si hæc proæcime successerit Fredesendis, oportet, ut 50 circiter annos Dononiensi abbatiæ præfuerit; cujus rei alia inferius non absimilita exempla existant.

Maria ac Berta.

Berta, venerabilis abbatisa Dononiensis, memoratur in charta, a Godescalco Atrebatensi episcopo anno 1157 data, qua hic loco canonicorum, qui præbendas in ecclesia Dononiensi possidebant, duos vicarios pro sua auctoritate episcopali substituit rogatu ejusdem Bertæ. Habes supra Chartam illam num. 135 et seq.

188 Helvidis, abbatisse Dononiensis seu de Doneig, annis 1221 et 1223, ut Dionysius Sammarthanus tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 423 scribit, mentio fit, eique hac in re consonat Ms. Catalogus supra laudatus. At vero hic a Sammarthano in eo discrepat, quod Helvidem ab anno 1188 usque ad annum 1223 abbatiæ regimen tenuisse, statuat; Sammarthanus autem illam jam circa annum 1185, seu tribus ante annis jam sedisse scribat, sique asserti testem laudet Chartam Cisoniensem in bibliotheca Colbertina estantem. Fortassis inter Helvidem, ad annos 1222 et 1223 memoratam, interque Bertam, anno 1157 Dononiense cœnobium moderantem, media fuerit Helvidis aliqua, quæ ab anno circiter 1165 usque ad 1187 abbatiæ regimen tenuerit, eademque sit, cujus in charta Cisoniensi circa annum 1185 mentio fit; quam exeunte anno 1187 vel ineunte anno 1188 defunctam, exceperit Helvidis altera, ad annos 1222 et 1223 memorata, quæ adeo hujus nominis secunda foret.

F Helvidis, cui forte altera Helvidis successit.

189 Eusilia, seu Ensilia, Dononiensis ecclesiæ abbatisa

AUCTORE  
J. G.  
Ensilia, Hel-  
widis, Ma-  
ria, Isabel-  
la,

abbatissa et ejusdem loci conventus abbatissae bona de Honepele et de Husen cum omnibus suis juribus ecclesiae Xantheni in Clivia anno 1240 vendunt. Ex charta, quam habes num. 145. Scribit Dionysius Sammarthanus, Eusiliam etiam reperiri anno 1241 in Tabulario Viconiensi. Familiae ejus nomen fuisse d'Enghien, auctor est in citato catalogo Ms. consultissimus Dominus Morreau, Valentianensis causidicus, et hodieque Dononiensis abbatissae a consiliis.

Helwidis, teste eodem Domino Morreau in suis Additionibus, cognomento d'Estré, Dononiensis abbatissa, mortua est anno 1268.

Maria, abbatissa Dononiensis, commemoratur ad annum 1272. Ex tomo III Galliae Christianae auct. col. 423 et ex catalogo Ms. Mutiano.

Isabella, Dononiensis abbatissa, mortua die IV Decembris anno 1313. Ex Catalogo Mutiano, confecto partim ex Epitaphiis Dononiensibus, in unum collectis per Joannem de Pitpan de Montauban, Valentianensis urbis olim praepositum.

Ermesendis,  
Agnes, Ma-  
gdalena,

190 Ermesendis de Ligne, abbatissa Dononiensis, mortua est Valentianis anno 1316 et sepulta in ecclesia Dominarum Bellomontensium vulgo Dames de Beaumont. Ex Catalogo Ms. Mutiano et Additionibus laudati Domini Morreau.

Agnes de Lywerde, abbatissa Dononiensis, mortua die S. Benedicto sacra seu XXI Martii anno 1345. Ex Catalogo Mutiano, citante librum Ms., cui Gallice titulus: Le livre des Dames.

Maria d'Oysy, Dononiensis abbatissa, mortua anno 1365. Ex Catalogo Mutiano.

Magdalena, alias Margarita d'Aisne, abbatissa fuit triginta tribus annis, mortuaeque est die VI Decembris anno 1398. Additur in Mutiano catalogo, filiam fuisse Domini Sausset, Ballivi Hannoniae, ut vocant. Fuit autem Gerardus d'Aisne, dictus Sausset, Hannoniae ballivus annis 1333 et 1336.

Alix, Lau-  
rentia, Ma-  
rgarita, Isa-  
bella,

191 Aelix seu Alix de Molembaix abbatissa fuit 26 annis. Mortua est die Martis, secta Maii anno 1426. Ex eodem Catalogo.

Laurentia de Molembaix, soror Alicis, ei successit. Defuncta est anno 1427. Ex eod. Catalogo.

Margarita de Vault, Dononiensis abbatissa, obiit anno 1437. Ex libro Ms., cui titulus: Le Livre des Dames.

Isabella d'Ognies, scholastica, ut vocant, seu junior sanctimonialis erat anno 1401; abbatissa autem fuit quadraginta annorum spatium; defuncta est anno 1477. Sororem habuit nomine Mariam d'Ognies. Ex eodem Catalogo Mutiano. Nescio, an ad eam, an vero ad sororem ejus, mox memorandam, referenda sint, quae ex Arlodio num. 158 referuntur. Adisis dicta cit. loco.

Maria d'Og-  
nies, Maria  
de Werquig-  
neul, Joan-  
na, Sancta,

192 Maria d'Ognies, abbatissa Dononiensis. Ex eodem Catalogo. Sub hac contigit Dononiensis ecclesiae violatio et parthenonis direptio, quam in Ms. nostra collectione Caenobiorum Artesiae his verbis descriptam reperio: In solemnitate natalis Domini anno 1478, cum sorores domicellae Matutinas canerent, irrumpunt Franci templum Dononiense, domum depredantur, multos captivos abduxerunt cum omni pecore.

Maria de Werquigneul, filia Jacobi et Joannae d'Ognies, mortua est anno 1485, cum tan-

tum electa esset abbatissa. Ex libro Ms., cui titulus: Livre des Dames pag. 46 et 72.

Joanna de Werquigneul abbatissa Dononiensem recit abbatissa quinquaginta et uno annis. Obiit die III Julii anno 1536. Ex eodem jam mox citato libro Ms. pag. 47 et 72.

Sancta, forte Sancia, de Werquigneul abbatissa fuit viginti annis. Defuncta est die XXVII Aprilis anno 1553. Ex eodem libro Ms., vulgo Livre des Dames pag. 78.

193 Antonia seu Antonetta d'Esne abbatissa Dononiensem recit tribus annis. Obiit die VIII Martii anno 1557. Ex eodem jam cit. libro pag. 71 et 82. Ejus corpus incorruptum etiam erat anno 1751, cum sepeliretur abbatissa Maria de Lieres, infra memoranda. Ita Amplissimus Dominus Dionysius Mutle, ecclesiae metropolitanae Cameracensis decanus et vicarius generalis, qui id ex ipso amplissimo Domino de Lannoy Benne repaire, ejusdem ecclesiae canonico, dignoque fide teste, se intellexisse, testatur.

Anna de la Fosse, dicta de Givenchi, abbatissa fuit 17 annis. Obiit die XVIII Maii anno 1573, die festo Sanctissimae Trinitatis. Ex citato libro, cui titulus: Livre des Dames pag. 85.

Guislina, alias Guilliema de Nedoncel, abbatissa fuit 21 annis. Defuncta est anno 1595. Ex eod. mox cit. libro pag. 79 et 92.

Jacoba seu Jaquelina de Locquenghien abbatissa fuit undecim annis. Decessit anno 1606, die tertia Octobris. Ex eod. lib. pag. 86.

194 Michaëla de Habarq abbatissa fuit 26 annis et sex hebdomadis. Obiit die VII Januarii anno 1633, ætatis suae anno 89. Ex eodem lib. Ms. pag. 104.

Anna Maria de Bauffremez, uti laudatus Dominus Morreau scribit, abbatissa fuit Dononiensis. Obiit die... Januarii anno 16... Mirum est, certiora de hujus dominae regimine temporeque emortuali praefato domino non potuisse innotescere.

Joanna Maria de Bonmarchiet de la Brayelle abbatissa fuit mense Februario anni 1650, obiitque die XVIII Januarii anno 1663, ætatis suae anno 72. Ex lib. Ms. cui titulus: Livre des Dames, et ex Epitaphiis.

Antonia seu Antonetta Isabella Maria de Nedonchel, uti laudatus D. Morreau scribit, abbatissa Dononiensis fuit. Defuncta est die XXIV Junii anno 1684. Ex Epitaphiis in Catalogo Mutiano citatis.

195 Joanna Maria Ernestina de la Hamaide, mense Junio anni 1689 creata fuit abbatissa. Obiit die V Decembris anno 1729, ætatis suae anno 80. Ex Catalogo Mutiano.

Maria Carolina, seu Charliotta Omer de Lieres de saint Venant successit praefato Dominae Joannae de la Hamaide, et obiit abbatissa die XXII Maii anno 1751. Ex eod. Cat. Mutiano.

Eleonora Amelia Josepha de Houchin nominata fuit abbatissa die XXI Junii anno 1751. Defuncta est die secunda Augusti anno 1752. Ex eodem Catalogo.

Maria Ernestina Anna du Chastel de Petriet, abbatissa mense septembri anno 1771 etiam feliciter Dononiensem Parthenonem gubernans, ac promovendi Patronae suae cultus studiosissima, multisque digna nominibus, ut suis deo laeto intersit et sera ad caelum redeat.